

Lucretium Carum multa vocabula usurpasse, quae ab usu et consuetudine sermonis aureae aetatis linguae latinae longe remota sint, et multa longe aliter protulisse, quam a posterioribus vulgo efferantur, eumque saepissime et verba et formas obsoletas affectare consecrarique, ut orationi speciem antiquam imponat, satis superque constat. Haud inutile igitur opus mihi suscepisse visus sum, testimonia et exempla colligere et collecta in certum quendam ordinem redigere ita, ut lector benevolus facile perspiciat, ubi, qua in re et quando Lucretius a vulgari sermonis usu recesserit. Ac primum quidem pauca de orthographia praemittenda videntur, quum multa propter mutuam cognitionem et affinitatem litterarum aliam quandam, ut ita dicam, speciem induerint. Prae caeteris Eichstaedtius et Forbigerus in scriptione quarundam vocum in syllabis primitivis, quae dicuntur, longe recedunt a Lachmanni consuetudine easdem voces scribendi, qui probatissimos codices adiit eorumque auctoritatem in vocibus exhibendis secutus est.

Permutatur verbi causa diphthongus *ae* et vocalis littera *e*. Membranae 5, 1451. exhibent *dedala* signa, quum scribendum sit *daedala*, *taetra*, non *tetra* 1, 936., *scaena*, non *scena* 4, 78. (Lachm. comment. p. 217 sq.), *saetiger*, non *setiger* 5, 969 *).

Scribendum est *foede*, non *fede* 1, 63. (Lachm. ad 1, 84.), *foedum* malum 2, 401. 5, 1342., *foedare* 4, 845.

Man c i p i u m, non *man c u p i u m* 3, 984. (971.).

Permutatur *oe* et *u*: *moenera* 5, 1307. pro *munera*, *moeri* pro *muri* 1, 30. 4, 221. *poenire* 6, 1240. *poenio*, *poeni* 5, 1302. 3, 845. *poeniceus* et *puniceus* 2, 829. 5, 941.

vortex pro *vertex* 6, 277. *volgus* 1, 945. *volnus* 3, 661. *volgo* 1, 238. *volgivago* 5, 932. *volutarii* 4, 680. Constantem autem usum non esse in scriptione ejusmodi vocum docent libri manuscripti et codices, quapropter Forbigerus 5, 1152. male exhibuit *revortit* pro *revertit* et *divorsei* pro *diversi* 2, 563. *cunctatur*, non *conctatur* 2, 392. *rutundus*, non *rotundus*. Lachm. ad 2, 402. 3, 5. p. 96. *frondiferasque domos*, non *frundiferas*. Lachm. 1, 18. p. 19. *jucunda*, non *jocunda* 2, 3. 19. Grotfend. Gr. lat. Tom. 2. §. 167. *pervolgant*, non *pervulgant* 2, 164. *frondes*, non *frundeis* 2, 875. Libro 6, 538. 3, 1031. scribitur *lucunas* pro *lacunas*, 2, 867.

*) Confer. Lachm. comment. p. 25. „horum autem rationem reddere satis habeo, nisi quod *ae* et *e* paulo rectius scribo praeter quam in minus certis, velut *erumna*, *teter*, *septa*, *meror*, *mestus*, *presto*, *gleba*, *scena*, *penuria*, *fecula*, quae in consensu membranarum non repudio, quamvis Lucretium ea omnia per diphthongum protulisse credam. Omnino autem ita sentio, et posse et debere nos in plerisque uti orthographia saeculi IV, neque nobis recentiora admittere licere.

man u festa, 5, 481. max u ma, sed optima, non optuma 2, 135., proxima, non proxuma 4, 580. Grotef. Gr. lat. 2. §. 165.

Rectius scribitur 1, 92. lacrimas, non lacrumas, lacrimare, non lacrumare 2, 420. incluta non inclita 1, 40., dissipat, non dissupat 1, 350. Grotefend. Gr. Tom. 2. §. 164.

Permutatur **o** et **u**: Acheruntis 3, 37. monumentum, non monumentum 5, 312. 330. 6, 242. Grotef. §. 165. not. §. 199.

Gerundia et gerundiva tertiae et quartae conjugationis in endum desinunt non in undum, ut constanter terminavit Forbigerus. cf. praefatio p. XIV. Solvendi scribendum est, non solvundi 5, 1224., volvenda, non volvunda 5, 1275., crescendi 1, 585., sed 5, 66. ratio reddunda sit esse, 6, 480. conveniundo.

o et **u** permutatur in voce **cor** pro **cūr**. Lachm. comment. p. 172. 398. robor pro robur. Lachm. ad 2, 1131. Charisius p. 66. de nominibus, quae **or** syllaba terminantur: „praeterea et neutralia si qua sunt, et haec corripuntur, velut aequor aequoris, marmor marmoris, robor roboris, ador adoris.” fulgor et fulgur 6, 170. L. p. 359.

Pennatus, non pinnatus 5, 737. Quintil. instit. orat. 1, 4.

Quamvis constet aurea aetate pronuntiationem diphthongi **au** et **o** simul adhibitam esse, tamen **au** usitator fuit, quam ob rem Wak. Eich. alii libro 6, 548. non scribere debebant plostris, sed plaustris. Schneid. Gramm. lat. 1. p. 59. Grotef. Gramm. lat. T. 2. 167. 194.

o permutatur cum **u** vocali in dictionibus quibusdam: aevom pro aevum, vultus pro vultus 3, 468. 594. 4, 1217. divomque 1, 1. olivom 2, 937. salvom (Forbiger. praefat. p. XV.), principiom 2, 937. Suboles pro soboles 4, 1232. scribitur; eodem modo alias adulescens, epistula. Grotef. Tom. 2. §. 167.

In vocibus quibusdam, quae ex lingua graeca in latinam transmigrarunt, permutantur vocales **y**, **u**, **i**: clypeus, lacryma, satyra, sed rectius, observante Grotef. l. l. §. 164, scribitur lacrima, nisi de industria obsoletam scriptionem imitari velis. Ergo praeferenda est 1, 91. scriptio lacrimas effundere, non lacrumas. Inclutus retinet vocalem **u**, quod in radice cluo mansit.

Pro diphthongo **ae** interdum usurpatur **ai** in genitivis declinationis primae: terrai, frugiferai.

De diphthongo **ei**, quae interdum in nominativo sing. et dativo plur. secundae declinationis pro **i** longo usurpatur, copiosius disputavit Lachmannus p. 244.: quei = qui, puerei, ingenui 1, 230. oculi 3, 97. vitrei 4, 602. Grotef. l. l. §. 163. Auson. Popma de usu antiq. locut. lib. 1. c. 2. Forbig. praefat. p. XII.

Com et **quom**, **cor** et **quor** promiscue scribuntur 3, 476. Lachm. vōlpes et vulpes 3, 742.

De permutatione consonantium.

Promiscue ponitur **b** et **p**: sup̄terque 2, 1049. Lachm., sup̄ter item ut supra 6, 537. hinc alium sup̄ter 5, 512. optineat 3, 989. (1002.). optulit 3, 1041. obtulerat 5, 960. sup̄tilem 2, 385. 3, 195., sed 6, 225. subtilem.

Inseritur interdum **p**: consumpta 5, 244. sumpsit 5, 248. peremptus 3, 886.

Ausonius Popma observavit lib. 1. c. 3. veteres **c** et **g** invicem commutasse, acetare dixisse pro agitare; et Lachmannus ad 3, 156. p. 148. adnotavit saepe in codd. permutari **c** et **g**. Oblongum scribere 1, 465. calicare pro caligare, centis pro gentis 2, 82., vacaris pro vagaris 2, 805., zamarados 4, 53., uncula 4, 681., conspiciunt 4, 1237., cannita 3, 1068., et e contrario argeri pro arteri 1, 183., digitur pro dicitur 4, 132., lugidus 4, 315., agre 5, 862., argem 5, 1108., Aceruntis 6, 763., stomacho 6, 116.

Praeterea veteres permutabant **c** et **qu**, arcus scribebant pro arcus 6, 526., quur pro cur 1, 175. Priscian. 1, 8. quaequomque, quodquomque, oquulus. Prisc. quom = cum 1, 1077. Lachm. p. 71. p. 398. **quo**i pro **cui**, **quojus** pro **cujus**, **quoique** 4, 41. Popma lib. 1. c. 3. p. 549.

Interdum scribitur **du** pro **b**: duellica equorum proles 2, 661.; neque videntur vetustiores aliter dixisse, quam duellicum et perduelles; Duellona pro Bellona. Lachm. p. 112. Grotef. T. 2. §. 186.

B et **v** et in pronuntiando et in scribendo indifferenter poni solebat: ferveo et ferbeo, ferbesco; corborumque 5, 1084. Lachm. comment. Lachmannus ad 2, 216. p. 87. observavit: Quadratum pro avemus habemus scripsisse; item scribi vibus pro vivus, bideant pro videant, conibent pro connivent, abersabile pro aversabile 6, 390., benenumst pro venenumst. Oblongus 4, 483. balebit pro valebit, 5, 1413. suabius pro suavius; Quadratus 4, 929. nobitas pro novitas. Grotef. T. 2. §. 195. 190. 160.

S consonans permutatur cum littera **r**: honos = honor, arbos, vises = vires, amos, colos 6, 1073., vapos, clamos, labos, odos, lases = lares. Lachm. ad 6, 1260. p. 424. Auson. Popma lib. 1. 3. p. 554.

M transit in litteram **n** sequentibus litteris **d**, **t**, **c**, **q**: tandem, tantum, tantundem 1, 361. idendidem.

M et **s** in fine dictionum promiscue et indifferenter ponuntur: seorsus et seorsum et sorsum 4, 495. 5, 449. 2, 1061. deorsum. Lachm. p. 134.

Pro **n** scribitur et pronuntiatur **r**: extraria lux pro extranea lux 4, 278. Auson. Popma p. 553.; item praecidarius et praecidaneus, proletarius et proletaneus, vicarius et vicaneus, praesentarius et praesentaneus.

R migrat in **s**, unde dicitur quaerere et quaesere 5, 1228., quaesit = quaerit, esit et escit pro erit 1, 620. Forbiger. Aus. Popma p. 553.

D et **t** maxime in fine dictionum promiscue scribitur: ad pro at 3, 640. 5, 945. et 1033. Lachm. athuc 6, 604. nequid, Oblongus nequit, quit pro quid Oblongus 5, 527., quicquit 3, 787. 5, 31. aliquid 1, 977. 4, 1134. aliut 1, 469. 5, 765. 832. 6, 995. Lachm. p. 53. quid quead esse 5, 88. 6, 664. 857. p. 281. sid Quadratus 5, 1429. reliquid 4, 1137. alit pro aliud 1, 263. Lachm. p. 286. at pro ad 6, 53. Oblongus. Lachm. p. 352. aput 6, 747. atmoderate 2, 169. atportant 5, 221. adque 6, 600. quicquit 5, 131. haud 3, 682. 840. haut 3, 330. In quibusdam libris scribitur tot nomina, quod sunt 3, 317.

Victorinus praecipit: Haut **d** litteram conservat, si sequens vocabulum incipiat a vocali, ut haud aliter minor et haud equidem: at cum verbum a consonante incipit, **d** perdit et **t**

inducit, ut haut dudum et haut multum. Auson. Popma p. 551. Grotef. T. II. §. 191. 193. 186. Lachmannus ad lib. 6, 4. observavit solacia, non solatia esse scribendum 5, 21., quum nemo probet mendatium, sic setius, non secius scribendum esse 6, 315. p. 366. Grotef. T. II. §. 177.

De litterarum in dictionibus adjectione.

Dictionibus saepe vel adjicitur littera vel detrahitur. **E** vocalis in medio dictionum tum ejicitur tum interponitur, ut supera pro supra 4, 672. 3, 386. 5, 1406. dextera 4, 293. 2, 488. dextram 3, 651. 4, 277.

Induperator dicitur pro imperator 4, 964. indupedita 2, 101. navita 5, 224. et nauta 4, 969. 4, 433. Mavors = Mars 1, 33. donicum = donec 2, 1115. totiens = toties 1, 598. ningues = nives 6, 736. 965. cuppedines 5, 45. tinguo = tingo 6, 173. 5, 1326. unguis 4, 1179., sic alias ninguo. Aus. Popma p. 560.

De littera **I** geminata in dictionibus Lachmannus ad 1, 313. p. 32. p. 204. observat haec. Regula est: post longam vocalem e duabus **I** alteram subtrahi, si sequatur **I** littera, nisi ea casualis sit; ut Messalla, Messalina, mille, milleni, milli, milia, miliens, villa, villaticus, villula, villis, vilicus, stilla, stillare, stillis, stilicidium, luella 3, 1015.; **I** simplici scribuntur, in quibus **e** litteram longa syllaba praecedat, ut custodela, clientela, suadela, candela; **I** geminatur, ubi prima brevis est, ut loquellam, querellam, sequellam, luellam, relligio 5, 114. reliquiae 6, 825. 3, 656. Lachm. p. 281. Grotef. T. 2. §. 179. 180.

Substantivis tertii ordinis neutrius generis in **ar** desinentibus additur **e** vocalis in quibusdam vocibus, ut exemplare pro exemplar 2, 120. Lachm. n. Popma de usu antiq. loc. lib. 1. c. 8. „**ar** etiam in **arc** mutatur, ut pugillare, torcular, exemplare, vel in **arium**, ut torcularium, exemplarium, lupanarium, miliarium.”

In editionibus quibusdam **i** litteram in fine genitivi quarundam dictionum quintae declinationis et pronominis **is**, **ea**, **id**, ut syllaba producat, contra auctoritatem codicum et contra rationem geminant. Male igitur scribitur eii 5, 285. reii 6, 919. 1, 689. 2, 111. fideii 5, 103. Lachm. ad 3, 227. 374. Forbig. n. 6, 919. Schneideri Gr. lat. I. p. 280. Grotefend. Gr. lat. II. §. 6. 11. Auson. Popma lib. 1. c. 4. p. 561. Lachmannus notat: ceterum in his quintae declinationis formis **i** duplex neque rationem habet neque auctores; neque **ei**, cum prior syllaba producat, **ei** dicendum est, quoniam admittit elisionem. Lachm. p. 151.

Inseritur interdum **v**: fluvidus pro fluidus 2, 466. 464.

Saepe omittuntur vel abjiciuntur litterae in initio vel medio dictionum et maxime consonantes, ut **quod** pro **quoad** 2, 850. Abjicitur per aphaeresin **e** pronominis **is**, **ea**, **id**, in accusativis generis feminini 3, 445. „corpore qui nostro rarus magis **am** (eam) cohibessit.” Lachmannus autem scribit: **is** cohibessit, negans Grammaticos veteres unquam **am** pro eam scripsisse, 3, 444. p. 171. Popma l. l. p. 565.

In participiis quibusdam perfecti passivi per syncopen ejicitur **i**: reposta pro reposita

1, 36. 3, 347., et **u** in substantivis quibusdam: gubernaculum pro gubernaculum, periculum 3, 776. 5, 1298. 1, 60., sacclum 4, 1223. 5, 1020. 3, 961.

Detrahitur **u** pronominis suus: **sis, sos, sas** pro suis, suos, suas 3, 1038. Forbig. Priscianus XIII, 2. §. 4. p. 955. Popma l. l. p. 565.

Aliud dicitur pro aliud 5, 258. 1304., alis pro aliis 4, 639., ubi Lachmannus edidit ali p. 249.; illum pro illinc legitur 3, 880., istim Lachm. p. 189.

Surpere pro surripere dicitur 2, 314., capte pro capite 6, 541., cop'latus pro copulatus 6, 1087.

E in adverbis hac littera desinentibus abjicitur, ut volup, facul, difficul pro volupe, facile, difficile. 3, 401. facul Eichst., sed Lachmannus facile exhibet. Lachm. p. 166. fin. Forbigér. not. ad h. l. Popma l. l. p. 566.

Famul pro famulus occurrit 3, 1048. (1035.).

S littera in fine dictionum per apocopen abjicitur 3, 1038: lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit. 3, 1051. sopitu' quiete est; distractu'st 2, 831. ex omnibu' rebus 1, 160. Forbig. not. Lachm. ad 1, 186. p. 28.

Prò divom nomina 2, 435. = proh.

Syllabae interdum in dictionibus adjiciuntur: duellica proles pro bellica 2, 661. divitioris (ditioris) 5, 1114. itiner (iter) 6, 339. iter 1, 1009. Popma l. l. p. 569. Mavors (Mars) 1, 33. potesse 1, 666. (posse). Forbig. not. 2, 225. Popma l. l. p. 570.

Particulae **quam** additur **de**: quande 1, 641. 3, 794. 5, 138.

Ende sive **endo** aut **indu** pro in scribitur 2, 1096. 6, 891. Forbig. not. ad 1, 83. 5, 103. indupediri 4, 68. 1, 241. 2, 101. induperator 5, 1226. 4, 968. indugredi 1, 83. 4, 319. 4, 368.

Additur syllaba **dum**: agedum 3, 975. Hartung Partik. I. p. 285.

In medio dictionum syllabae detrahuntur: **apiscor** pro adipiscor 1, 449. 6, 1234. **diti** de pectore pro divite 1, 414. **probeat** pro prohibeat 1, 977: „nam sive est aliquit quod probeat efficiatque", ubi Forbigerus prohibeat duabus syllabis pronuntiandum exhibeat, not. ad h. l. Lachmannus ad 3, 863. p. 188. et ad 2, 1061. p. 134. Similia sunt praebere et debere. Ausonius Popma l. l. p. 575. Sic **prendere** proprehendere 4, 1136. reperitur, **satias** pro satietas 2, 1037. 5, 1390. 5, 40: fessus satiate videndi; surpere = surripere 2, 314. Forbig.

Eodem modo genitivus pluralis secundae declinationis contrahitur: deum, nummum, puerum 1, 256., et infinitivi praeteritorum: **cesse** 1, 1104., **consumse** 1, 234., **remosse** 3, 69. Forbig.

Guberna pro gubernacula 2, 553. 4, 441. Popma p. 577. **miraclorum** 4, 594.

Simul pro simulac ponitur 1, 88. Popma p. 577.

Jam transeamus ad archaismos declinationum qui dicuntur. Ac primum quidem observare licet, genitivum substantivorum quorundam primae declinationis singularis numeri terminari in *ai*, nunquam autem dativum, ut recte notat Lachmannus ad 1, 454. p. 40. Sic scribitur militai 1, 29. patriai 1, 41. materiai 1, 280. 517. 553. trivial 1, 85. animai 1, 113. 3, 151. 285. aquai 1, 286. 4, 622. caveai 4, 76. scenai 4, 980. irai 3, 309. ferai 1, 405. flammai 1, 726. parmai 4, 845. fugai 1, 1046. 4, 717. gelidai 3, 693. Geryonai 5, 28. guttai 6, 614. harmoniai 3, 132. horai 1, 1015. Iphianassai 1, 86. terrai 1, 250. naturai 1, 1109. linguai 4, 628. lunai 5, 70. notitai 2, 123. operai 4, 620. patriai 1, 92. pilai 5, 711. purpureai 2, 51. summai 1, 953. taedai 6, 847. Schneider. Gramm. lat. II. p. 22. Lachmann. 1, 29. p. 19. Nemo non videt maxime metri causa hanc diaeresin admitti.

Patronymica in *des* desinentia genitivum pluralem interdum contrahunt: Aeneadum (1, 1.) pro Aeneadarum. Schneideri Gramm. lat. II. p. 23. Priscian. VII, 3. p. 733. Putsch. Heliconiadum 3, 1050. (1037.), quod nominativus est Heliconias, sed Romulidarum 4, 687.

Pariter substantiva composita in *cola* et *gena* desinentia saepe genitivum pluralem contrahunt: agricolūm pro agricolarum 4, 590. (586.).

Amat Lucretius substantiva ordinis primi promiscue ad quintum flectere: materia et materies 1, 513. 516. 250. 270. effigiae 4, 104. 4, 46. 85. effigias Plaut. Rud. II, 4, 7. notities 5, 183. 1056. avarities 3, 59. amicities 5, 1018. Auson. Popma de usu antiquae locutionis 1, c. 8. multa exempla ex aliis scriptoribus petita collegit.

Versul. 5, 839. nonnulli editores scribunt Androgynem, quod barbarum esse Lachmannus (p. 313.) censet, quia prima declinatio accusativum tertiae respuit; legendum est Androgynum.

Amat denique Lucretius substantiva verbalia in *tia*, quae a participio praesentis deducuntur: retinentia 3, 675. repetentia 3, 863.

Declinatio secunda.

Genitivus singularis secundae declinationis eorum nominum, etiam propriorum, quae ante terminationem *us* vel *um* habent vocalem *i*, saepius per simplicem *i*, non geminam effertur, ergo *i* penultimum tollitur: 1, 11. Favoni; 5, 1405. somni. Memmi propago 1, 43. 5, 1006. Lachmanni nota p. 326 seqq. p. 387. Forbig. ad 5, 1004. Absynthi 1, 940. Aegi 6, 585. remigi 6, 743. conchyli 6, 1072. incendi 6, 673. Lachm. p. 33.

Adjectiva quaedam et pronomina, quae genitivum habent in *ius* desinentem et dativum in *i*, formantur eodem modo, quo reliqua adjectiva flecti solent. Male quidem genitivum feminini generis singularis numeri Lambinus ex conjectura scribit nullae 6, 393., quem Creechius secutus est: „et potius nullae sibi turpius consciu' rei", et lib. 1, 688. Forbigerus et Eichstaedtius causa non allata scribunt: „simulata neque ullae praeterea rei", ubi Lachmannus rectius videtur exhibere ulli; sed libro 3, 918. (931.) reperitur: „aut aliae cujus desiderium insideat rei." Plaut. in Milite: rei nullae aliae est improbus. Gramm. Marchica p. 94. Ramshorn. Gr. min. §. 38.

Vocis *virus*, quam indeclinabilem esse Grammatici quidam affirmant, plures casus repe-

riuntur apud Lucretium, ut genitivus, 2, 476: „viri tetri primordia linquit humor.” Hunc genitivum non agnoscunt Probus p. 1463. et Consentius p. 2034. Putsch. Ruddim. instit. Gr. I. p. 127. Accusativus Virgil. 1. Georg. v. 129: „ille malum virus serpentibus addidit atris.” Ablativus 2, 853: concoctosque suo contractans perdere viro.

Aliud pro aliud reperitur 1, 1108. 5, 288. alis quod cibus est 4, 639.

Forma nominativi secundae declinationis in **us** usurpatur pro vocativo 1, 45. Forbig. not.: „Quod superest vacuas auris mihi, Memmius et te.” Auson. Popma de usu antiq. loc. lib. II, c. 10. Aliis in locis vocativus regulariter flectitur: Memmi 1, 412. 5, 8.

Nominativum pluralis masculini generis declinationis secundae et dativum et ablativum Forbigerus fere constanter per **ei** et **eis** scripsit, cf. praefat. p. XII. antiquam obsoletamve formam retinens, Lachmannus autem auctoritatem optimorum codicum secutus paucis tantum locis servavit: ingenuei 1, 230. oculi 3, 97. Lachm. ad 4, 602. p. 244. In aliis locis Forbigerus scripsit **ei**, ubi Lachmannus exhibuit **i**: finitumei 5, 1019. (finitumi); divorcei 4, 1200. (divorsi); purei 4, 1023. fusei 5, 1352. Romaneis 1, 41. morbo affecteis 1, 134. verbeis 1, 197. gignundeis 1, 205. Grotefend. Gr. lat. Tom. II. §. 162—164., ubi versus Lucilli reperiantur, in quibus praecipitur, quomodo nominativus pluralis a genitivo singularis numeri et a dativo et ablativo tertiae declinationis distinguendus sit. Ausonius Popma l. l. lib. I. c. 2.

Genitivus pluralis saepissime contrahitur in **um**: Danaum 1, 87. Chaldaeum 5, 726. nam sublata virum manibus tremebundaque ad aras deducta est 1, 96. numen divum apparet 3, 18. deum de summa sativa 1, 409. 2, 168. 658. equum vis 6, 549. Grajum ut cecinare poetae 6, 755. 2, 601. Molossum 5, 1062. squamigerum pecudes 2, 343. conciliata principum 2, 937. Lachm. scribit principia.

Obsoleta forma **om**, Graecorum **ov** vel **ov**, pro **um** in terminationibus secundae declinationis nonnisi post litteram **v** servatur. Forbig. praefat. p. XIII. Divomque voluptas 1, 1. 57. 159. vexata per aevom 1, 584. 952. degunt aevom 2, 1094. tardum cunctatur olivom 2, 392. et leve olivom 6, 1073.

Pluralis nominis Tartarus est Tartara 3, 1025. 3, 979. nec Tartara deditur atra 3, 42. Tartara leti 5, 1125. Grotef. Gr. lat. T. I. §. 24. Zumpt. §. 99. Jocus, joca 5, 1396. sibilum (sibilus), sibila 5, 1381: sibila Zephyri per cava calamorum agrestes docuere cecitas inflare.

Coelum (coelus), plur. coeli: coelos omnes convertere 2, 1097 (*). locus, loca 4, 1028. locos 4, 1239.

Reperitur vulgum et vulgus 2, 919.

Pluralis nominis **fumus** occurrit, 3, 431. 6, 104. fumi volantes.

Solo ponitur pro solea 1, 926. 4, 2.

Anguimanus pro anguimano reperitur 2, 537. Lachmann. p. 107. Priscianus p. 718:

*) Veteres in masculino singularis dixisse videntur coelus. Ennius enim dicit: Quem coelus genuit. Grammat. Marchica p. 180. Ruddim. inst. Gr. I. p. 109. not. 12. Schneid. Gr. lat. II. p. 476.

haec manus, hujus manus: ex quo compositum ejus declinationem sequitur, hic centi-
manus, hujus centimanus.

Pluralis nominis pelagus more Graecorum formatur pelage 6, 620. 5, 36: at pelage
multa. Ruddim. inst. Gr. I. p. 149. not. 50. Schneid. Gr. lat. II. p. 309. Gr. Marchica
p. 187. Ramshorn. Gr. min. p. 35. 5. Eodem modo flectitur melos: Cynea mele 2, 504. 2, 412.

Reperiuntur et aliae voces, quae varias formas habent: lea pro leaena 5, 1317. senecta
et senectus 1, 415. 4, 1249. (1252.). Senectus est adjectivum 5, 884. senecta aetate 3, 773.
senectis membris. Legitur et contagium 3, 346. 472. 740. 6, 1235. et contages 3, 734.
6, 337. 1242. Elephas et elephantus 5, 1227. 2, 537. Apium et apius; fluvii, fluviae.
Lachm. p. 326. Lucretius vocem abrotonus usurpat genere masculino, quae vox saepius
neutro genere reperitur, 4, 125. Ruddim. inst. Gr. I. p. 141. not. 18. Similiter absinthium
genere masculino usurpatur a Varrone apud Nonium 3, 4. Schneid. Gr. lat. II. p. 477.
Oleaster 6, 971. masculinum est. Sanctii Minervae lib. I. de partt. orat. p. 30. Carbasus
genere feminino usurpatur 6, 108. (Gramm. Marchica p. 100.), Ammianus l. 14. c. 27.
masculino genere utitur: ad summos usque carbasos.

Dicebant veteres putei et putea genere ambiguo; similiter clupeus, clupeum; araneus,
aranea, araneum; acinus, acina, acinum; nuntius, nuntium; mundus, mundum;
cubitus, cubitum; arvum, arva; clivus, clivum; canticum, canticula; posticum,
postica; lupinus, lupinum; forum cum adjectivo foras. Ejusdem generis alia permulta
sunt, quae adjectiva dici olim desierunt. Fluvius, fluvia; labium, labea; apium, apius;
corium, corius; nervia, nervia; ostrea, ostrea; horreum, horrea; caseus, caseum;
araneus et aranea 3, 383. Lachm. Servius ad Virgil. 4, 246. annotat: „sciendum majores
animal ipsum masculino genere appellasse, hic araneus, retia vero, quae faciunt, feminino
genere.” Balineum, balinea, latrina, latrinum. Lachm. ad 6, 762. p. 392. Nuntius,
nuntia rerum 4, 706. 4, 1030. 6, 77. Cancer, canceris et cancri 5, 617. Lachmannus notat:
Cancerem sive cancer morbum in caelo pasci plane portentum est. Avantiis horride
Cancris iter ut vertat. Puelli = pueri 4, 1248.

Virus defectivum non indeclinabile est, nam reperitur genitivus viri, accusativus virus,
ablativus viro: 2, 475. tetri primordia viri; 2, 852: Ille malum virus serpentibus addidit
atris. Suo contractans perdere viro 2, 853. virus pereolatur 5, 270. 6, 636. virus Ionium
aequor aspergit 1, 720. Vide, quae supra monita sunt.

Alvus genere masculino usurpatur 6, 1199. Forbiger.

Declinatio tertia.

Multae voces declinationis tertiae apud Lucretium inveniuntur, quae respectu formae
a vulgari usu recedunt. Utitur v. c. Lucretius nominativo iter (1, 1009.) et itiner (6, 339.
Forbig.) et ablativo itere 5, 652. Forbig. not.

Marcianus Capella lib. 3. §. 295. dicit Lucretium genitivo vasi (ut rarique facit late-
ramina vasi) usum esse. Utramque genitivi formam Charisius agnoscit p. 119., ejus tem-
pore vasum antiquatum erat, sed vulgo dicebatur vaso, quo jam usus est Columella II, 2, 20.,

Vitruvius VIII, 1, 4. vaso, sed idem in vasum IX. praef. II. Notandus praeterea est genitivus jugerum. Lachmannus ad 6, 233.

Gluten, glutinis (6, 1078.) dicitur, ubi alii scriptores glutinum, glutini scribunt.

Vocis *femen* genitivus pluralis *feminum* occurrit 4, 829. *feminum* fastigia. In singulari numero praeter genitivum et ablativum, *feminis*, *femine*, casus alius non reperitur, pluralis regulariter flectitur: *femina*, *feminum*, *feminibus*. Grammat. March. c. XXIII. de defectivis casibus p. 205. Eodem modo flectitur *verber*.

Accusativus singularis quarundam vocum exit in *im*: *sitis*, *sitim* 2, 663. *vim* 1, 287. *puppim* 4, 390. *navem*, alii *navim* 4, 391. *febrim* in artus accepit 6, 657. Ausonius Popma l. l. lib. I. p. 589.

In nominativo et accusativo pluralis *vis* dicitur 3, 265. 2, 586. Lachmann. n. p. 109. Prob. p. 1461. Lucretius numero plurali haec *vis* 3, 256. et haec *vis*, Priscianus p. 707. „et haec *vis*, hujus *vis*, cujus plurale similiter *vis* tam Lucretius quam Sallustius protulerunt.” Forbig. ad 3, 266. Gramm. March. p. 204. c. 23.

Accusativus quorundam nominum Graecorum potissimum formatur in *a*: *aethera* 1, 1084. *Phaetonta* 5, 399. *aëra* 1, 708. 1, 745. 2, 145. 5, 580. *lampada* 2, 78. 5, 403. 609. *lampadas igniferas* 2, 25.

Lucretius ablativum substantivorum in *is* desinentium fere semper in *i* flectere solet, vel in iis vocibus, quae apud alios scriptores nonnisi in *e* terminantur. Non inutile videtur longum catalogum eorum nominum, quorum ablativus in *i* formatus invenitur, exhibere. cf. Ruddim. Inst. Gr. 1. p. 85. Schneid. Gr. Lat. II. p. 218. Forbiger. ad 1, 977. Auson. Popma l. l. lib. 1. p. 590. Lachm. p. 104.

In colli 2, 317. 326. finique 1, 977. bili 4, 666. igni 1, 491. 926. navi 4, 388. orbi 2, 544. sordi 6, 1270. contagi 3, 734. imbri 5, 237. labi 5, 928. luci 4, 236. tabi nimborum 1, 806. posti 1, 1104. 3, 610. aestati 6, 712. candenti 2, 766. classi 1, 101. minanti 5, 132. cadenti 5, 402. anni 6, 727. orbi terrarum 5, 75. ancipiti mucrone 2, 519. 6, 167. hebeti corde 5, 880. 4, 51. nocti 6, 1218. pernici saltu 5, 560. imbri 6, 265. pollenti pectore 5, 1. in luci 4, 236. torrenti vapore 4, 1093. pernici chorea 2, 635. sonanti 1, 820. rationi 6, 66. tripodi 1, 739. Lachmann. ad 2, 520. tereti cervice 1, 36. triplici 5, 902. tussis 4, 1163. iam mortua tussi; 6, 1188. tusse; patenti coelo 6, 449. patente 6, 1173. preci. Lachm. ad 3, 553. notat: tabi ablativo casu nemo dixit neque id usquam legitur, nisi in futilibus quibusdam Lucretii editionibus 1, 806.; nec tabi dandi casu Lucretium usum esse incredibile est, cum non multo post ejus obitum Helvius Cinna genitivo tabis dixerit et Messalla Corvinus tabem accusativo. — Ceterum non dissimile est, quod Terentius, quantum scio, solus dixit preci in Andria III, 4, 22. et in Phormione III, 3, 14.

Ablativi in Graecis vocabulis ut *i* breve respuunt, ita non modo *e* correptum, sed etiam *i* longum admittunt. Lucret. in 2, 416. croco Cilici perfusa; 3, 132. alto delatum Heliconi. Lachm. ad 1, 739. p. 49. Achilli et Achille. Ramshorn. Gr. min. §. 28. III.

Dativum in *e* desinentem formasse non videtur Lucretius. Auson. Popma l. l. p. 589.

Ablativi participiorum praesentium saepe in **i** desinunt: pollenti pectore 5, 1. torrenti vapore 4, 1093. sonanti 1, 820. orienti lumine 5, 663. Forbig. not. minanti 5, 1324. minitanti 1, 69. coeloque patenti 6, 449. suaviloquenti carmine 1, 944. versanti turbine 6, 12. patente 6, 1173. Sanctii Minerva p. 138.

Vetustissimi solebant nominum in **e**, **al**, **ar** desinentium ablativum etiam in **e** proferre, unde fit, ut Lucretius scribat: e mare primum homines 1, 162. indu mare Aradio fons, ubi Lachmannus exhibet: endo mari'st Aradi fons, 6, 891. not. Gramm. March. p. 124. Sanctii Minerva p. 139. Auson. Popma l. l. p. 590.

Lucretius exemplare dixit pro exemplar 2, 123. Nomina enim in **ar** desinentia eadem proferebantur a veteribus in **are** et **arium**: exemplar, exemplare, exemplarium. Lachm. ad 2, 120. torcular, torcularium; pugillare; miliarium; lupanarium. Auson. Popma l. l. p. 581. Ramsh. Gr. min. §. 35.

Rarior forma genitivi nominis vas est vasi. Marcianus Capella lib. 3. §. 295. „Lucretius tamen genitivo vasi, ut rarique facit lateramina vasi.” Utramque genitivi formam Charisius agnoscit p. 119., cujus tempore vasum antiquatum erat, sed vulgo dicebatur vaso, quo jam usus est Columella II, 2, 20. Lachm. ad 6, 233. In dativo et ablativo pluralis scribitur vasis 3, 435. 6, 231., et genitivus vasorum occurrit Plin. XXXIII, 53. Forbig. ad h. l. Gramm. March. p. 175.

Vocis jugerum (plural. jugera 3, 1001.) genitivum **jugererum** inveniri adnotavit Lachm. ad 6, 233. pro jugerum; nam dicebatur et jugerum, jugeri et jugeris. Gr. March. p. 176. Ramsh. Gr. lat. min. §. 34. Zumpt. §. 97.

Genitivus nominis impetus formatur ad declinationem tertiam (2, 594.): impetis 6, 327. et ablativus impete 2, 330: tramittunt valido quatientis impete campos 4, 417.; tanto impete 4, 904. 5, 506. 6, 339.; ablativus pluralis impetibus: impetibus crebris ruunt flamina venti 1, 294. Nominativus impes nusquam occurrit.

Satias dicitur pro satietas, accus. satietatem 5, 40., ablat. satiate 2, 1038. 5, 1390. Cf. Forbig. ad 2, 1037. Gr. March. p. 202.

Lucretium hoc sanguen dixisse Probus p. 1448. refert. Lachm. ad 1, 837. Gr. March. p. 115.

De plurali soles 5, 253. et 6, 1101. cf. Ruddim. inst. Gr. I. p. 135. not. 100. Gramm. March. p. 205. 7. Genitivus occurrere non videtur.

Nomina metallorum non formare solent pluralem, sed aes 2, 637. in accusativo et ablativo plurali reperitur: pulsarent aeribus aera 6, 228. aeraque 2, 450.

Voce jubar Lucretius utitur genere neutro 4, 406. et 5, 696., ut seriores, non masculino, quemadmodum Ennius p. 119. Hess. Forbiger. ad 4, 406. Schneid. Gr. lat. II. p. 133.

Forbigerus in praefatione editionis suae (p. XII.) haec notat: In iis vocibus tertiae declinationis, quae genitivum pluralis in ium terminant, quartum hujus numeri casum scripsimus per eis (quod seriores, quum nunquam aliter pronuntiatum fuerit, in is mutant) idque

Charisio p. 28. et 69., Donato edit. secund. p. 1750. P. et Servio ad Virg. Aen. 1, 110. obedientes. In nominativo vero eandem formam inducere, quum unius modo Varronis adsit auctoritas, nec ullus alius Grammaticus ejus mentionem fecerit, audacius videbatur. (Schneid. I. c. 2. p. 238.) Lachmannus autem ad 1, 744. p. 50. observavit: In accusativis pluralis numeri tertiae declinationis, quia certam loquendi constantiam a nullo unquam observatam esse intelligo, nihil temere audendum ratus fidem membranorum solam secutus sum, rejeci tamen formam vulgarem, quotiens anceps erat auctoritas, habet enim Oblongus cives in 1, 91. imbres 1, 769. dulces 1, 886. partes 4, 226. 1092. trementes 5, 403. progredientes 5, 1453. nubes 6, 473. 507. fontes 6, 613.; Quadratus imbres 1, 762. 769. 5, 1085. partes 2, 93. volantes 2, 206. urbes 2, 624. aures 4, 542.; praeterea quamvis consentientes imitari ausus non sum hoc loco, ubi habent frugis, 1, 744., neque in 4, 577. 991. 1000., ubi vocis, quamquam apud Nonium p. 149, 16. e Varrone scriptum est pacis et Manilii exemplaria in 3, 446. habent lucis; itemque in 4, 164. religionis, quod in utroque Vossiano est libro 6, 62., admittendum putavi, quoniam ab hoc genere ablativus in **i** desinens non est alienus. In lib. 5, 1280. Oblongus habet mortalis, Quadratus mortaleis, ejus accusativi formae nullum in libris L. superest. Ex quibus efficitur accusativum pluralem et in **is** et **es** formatum fuisse: ad acris 3, 311. moresque sequacis 3, 315. per aures 6, 777. in omnis 1, 966. pellis ignemque pararunt 5, 1011. frugiferentis 1, 3. suavis 1, 7. virentis 1, 18. amnis 1, 14. montis fluviosque rapacis 1, 17. omnis 1, 30. mortalis 1, 32. aures 1, 50. civis 1, 91. per gentis Italas 1, 119. montis 1, 201. ingentisque ruit navis 1, 272. partis 1, 310. Grotefend. lat. Gr. T. II. ed. III. §. 160. Ramshorn. Gr. lat. min. §. 28. n. 9.

Nominativus etiam pluralis saepe terminatur in **is**: animantis 2, 577. visentis 2, 955. vitalis 2, 1155. plangentis 4, 397. montis 4, 452. duplicis 4, 1203. aventis 4, 1221. parentis 5, 216. imbris 5, 494. partis 5, 525. pascentis 5, 1072. plorantis 6, 936. omnis etc. **Lachm. ad 1, 805 p. 56.** Auson. Popma l. l. p. 590. sq. Formatur idem in **es**. noctes 1, 142. volucres 1, 162. omnes 1, 166. vites 1, 175. pontes 1, 285. vestes 1, 305.

Genitivus pluralis participiorum praesentis temporis et nominum in **us** desinentium per syncopen saepe formatur in **ium** loco ium. amantum 5, 960. 4, 1070. meantum 1, 319. salutantum 1, 319. animantum 1, 416. 195. 2, 77. luce carentum 4, 39. canentum 4, 589. parentum 1, 592. (Zumpt. Gr. c. 15. 66. Gr. March. p. 133. Grotef. Gr. lat. T. I. §. 35.) 4, 1206. volantum 2, 1082. sapientum 2, 8. infantum 5, 508. Eodem modo legitur coelestum templa 6, 1272. mensum pro mensium Ovid. Met. 8, 500. Gramm. March. p. 132. Ramsh. Gr. lat. min. §. 28. p. 33. Auson. Popma l. l. p. 591. Municeps, princeps, forceps, extispex et laus genitivum pluralem admittunt in **ium**. Lachm. ad 1, 744. p. 51.

Ales in genitivo pluralis alituum formatur, 2, 927. 5, 799. 6, 1214. Ramsh. Gr. lat. min. §. 28. adnot. 7. II. e.

Nominativum pluralis numeri vocis plus rariorem pluria non reperiri in Lucretii carmine docuit Lachmannus ad 2, 586.

Ablativus pluralis vocis bos sonat bubus 6, 1129., dativus et ablativus vocis sus

subus 6, 975. (Schneid. Gr. I. II. p. 268.) et subus 6, 978. subus spurcitus munda videtur; 5, 968. subus setigeris. Lachm. ad 5, 969. formam subus praefert, Forbig. not. ad h. l.

Accusativus pluralis quorundam nominum Graecorum formatur in **as**. lampadas igniferas 2, 25.

Vocem caput in ablativo per syncopen non formari, capte, captibus, sed has formas conjectura Vossii exortas esse 6, 541. Forbigerus notat.

Substantiva quaedam in **ur** desinunt in **or**: robur et robor, ebur et ebor. Agroecius p. 2269. Rubor coloris est, robur virtutis, robor arboris. Lachm. ad 2, 1131. p. 140.

Amat Lucretius substantiva in **or** desinentia terminare in **os**: arbos 1, 774. 6, 786. colos 6, 207. 786. 1073. vaposque 6, 952. aegros 6, 1130. humos 6, 1185. Lachm. ad 6, 1260. p. 424. Pariter alii dixerunt honos, odos, labos, lepos. Auson. Popma l. l. lib. I. c. 8. p. 584.

In libro 3, 401. Wak. Forbig. exhibent faeul pro facile, quod hoc loco Lachmannus respuit (p. 166.). Similiter ultima syllaba vocis famulus praeciditur 3, 1035. famul: proinde ac famul infimus esset. cf. Forbig. ad 3, 1048. Auson. Popma l. l. p. 576.

Pluralis nominis adeps adipēs legitur 4, 643. at capris adipēs et coturnicibus auget. Ruddim. inst. Gr. I. p. 145. Schneid. Gr. lat. II. p. 387.

Paces legitur 5, 1229. Ruddim. l. l. p. 147. not. 37.

Exos nisi in nominativo et accusativo non videtur occurrere. Forbig. ad 3, 721.

De genere substantivorum quorundam tertiae declinationis.

Cinis usurpatur genere feminino 4, 927. (Ruddim. inst. Gr. I. p. 26. n. 37. Gramm. March. p. 144.): cinere ut multa latet obrutus ignis; finis 1, 562. reddita finis 1, 585. (Lachmannus 1, 555. notat Lucretium finem masculino genere non dixisse, quod editt. habent 2, 1116. 1, 555.) funis aurea 2, 1155. lapis rejecta 4, 572. Animans et genere masculino et feminino occurrit 2, 668. Haec animans est quodvis animal vivens et hic animans animal intelligens, rationis compos. Forbig. ad h. l. Siler genere masculino occurrit 1, 572. 2, 449. 5, 314. Schneid. Gr. lat. II. p. 112. Cortex genere feminino usurpatur 4, 48. vel cortex nominanda est. Heinsius ad Ovid. Met. 4, 375. Forbig. ad 4, 48. Sus masculino genere usurpat Lucretius: Arcadius sus 1, 25. spumigeri suis 5, 893. sues saevos in hostes mittere 5, 1308.

Vepri genere feminino legitur 4, 60. vepres serpentum spoliis auctas. Schneid. Gr. lat. II. p. 25. Gr. March. p. 146. Oleaster masculinum est 6, 971. oleaster nectare tinctus. Sanctii Min. p. 30.

Aranæa et araneus dicitur 3, 384. Majores animal dixerunt araneus masculino genere, retia, quae faciunt, feminino genere. Forbig.

Abrotonus et absinthium et genere masculino et feminino inveniuntur 4, 124.

Declinatio quarta.

Declinationem quartam ex tertia profectam et quodammodo declinationem contractam esse nemo nescit: unde factum est, ut genitivus antiquissimis temporibus terminaretur **uis**, postea **ūs**. Quamobrem apud Plautum, Terentium et Varronem inveniuntur genitivi **annis**, **quaestuis**, **victuis**, **graduis**, **rituis**, **manuis**, **domuis**. Gellius Noct. Att. lib. 4. c. 16. Voss. de analogia lib. II. c. 17. Auson. Popma p. 591 sq. Lachm. ad 2, 1148. p. 141. Genitivus singularis quarti ordinis saepe formatur ad legem secundae declinationis: **arcus**, **arci** 6, 526. **gelu**, **geli** 5, 206. 6, 155. assiduusque **geli** casus. Forbiger. ad 1, 385. Ramsh. Gr. lat. min. §. 30. 5. *)

Insolentior forma dativi in **u** terminati reperitur 3, 984. (971.): **vitaque municipio nulli datur**, omnibus usu; consueta **domu** catulorum **blanda propago** 4, 999. Forbig. n., ubi Lachmannus exhibuit **domi**, quae est lectio omnium librorum. Dativum **domo** et **domui** inveniri Lachmannus monuit ad 5, 1267. nec tamen hanc possis oculorum subdere visu 5, 102. Gr. March. p. 151. 2. Auson. Popma l. l. p. 592. Virgil. Aen. 1, 261. **parce metu** Georg. 4, 158.

Dativus et ablativus pluralis quorundam nominum terminatur in **ubus**: **pecabus** **balantibus** 6, 1132., ubi alii **pigris balantibus** scribunt, unde Forbigerus notat: vulgo editur **pecubus**, e Lambini conjectura, quam formam Rudd. inst. Gr. I. p. 104. not. 49. et Schneid. Gr. lat. II. p. 339. non ex hoc loco probare debuissent; **artubus** **infirmis** 1, 261. 3, 7. 620. 4, 632. **). Forbig. praef. p. XIV.

Praeterea observare licet, Lucretium substantiva quartae declinationis (a supinis descendia et) in **us** desinentia vehementer amare et singulari quodam significato et flexione usurpare. Non inutile erit magnum talium substantivorum catalogum proferre: **aestus** 6, 1054. (Ausfluss), 1049. (wallender Trieb); **algus** 5, 746. **algu** 3, 732. **gelum** et **gelu** 5, 206. **arcus** 6, 526. **abitus** 1, 458. **initus** = **exordium** 1, 384. **invictus** 5, 1104. Forbig. †); **itus** 3, 389. = **itio**; **missus** i. e. **emissi radii ignis** (Wurf, Schuss) 5, 569. 4, 409. **Projectus** in ablativo occurrit 3, 1000. (die ausgestreckte Lage des Körpers), apud Macrobius Sat. VI, 4. **projectum**; **sonitus** 6, 218. Vocem **sonus** etiam ad quartam declinationem flexisse veteres Nonius VIII, 67.

*) Dicitur et **gelum** et **gelu**, **tonitrus** et **tonitrum**, **gelus** et **gelu**, **genus** et **genu**. Alia sub uno fine secundae vel quartae: **acus**, **arcus**, **cornus**, **laurus**, **pinus**, **specus**, **quercus**, **ficus**, **lacus**, **colus**, **domus**, **fastus**, **jussus**. Sanctii Min. lib. I. p. 45. **Tonitru** et **tonitrus**; **cornu** 2, 620., **cornus** 5, 1329., **cornum** 2, 388. Gr. March. p. 176. Ramshorn. §. 30. 5. Forbiger. ad 5, 206.

) Lachmannus ad 5, 1077. notat: Scaurus de orthographia p. 2259. **artibus autem et **artubus** quidam variaverunt et per **i** quidem dativo et ablativo plurali scribi putaverunt, quotiens ab arte descenderet, ut sit **ars**, **artis**, **artibus**, **artubus** autem per **u**, quotiens ab eo quod esset **artus**: unde apud Lucretium 1, 260. legunt — **artubus infirmis**. Scaurus mavult scribi **artibus**.

†) Lachmannus notat: **invictum** igitur, quem ex incultu fingunt, relinquamus Forbigero ejusque auctori, quem non novi, 1, 454. p. 40. Nam **intactus** recto casu, ut pro substantivo sit, latine dici non potest, quoniam hujusmodi participalia cum in negativo conjuncta non nisi unum casum recipiunt: **injussu**, **incultu**, **inconsultu**, **invocatu**, etc.

docet. Subortus (ablativus subortu 5,304.), fremitus 1,276. actus (tenor, ductus) 3,193. adauctus (ablat. adauctu 2,1121.) Lachm.; adhaesus i. q. adhaesio 5,840. 3,382. adjectus (Anstoss) 1,690. aditus 1,678. 4,307. adventus 1,458. amictus coeli 6,1132. adventus 1,458. amplexus 5,320. adscensus 5,494. auctus 2,481. 6,748. balatus 2,369. cantus 5,1083. casus (das Herabfallen) 1,314. risus 4,1133. cibatus (Kost, Unterhalt) 6,1126. coactus (Zwang) [coactu magno] 2,273. conciliatus (Vereinigung), conciliatu 2,935. concursus (Vereinigung, Verbindung) 1,686. tractus (Zug, Länge) 1,1003. concussus (ablat.) 6,546. congestus arenae 6,724. congressus 5,68. conjectus (Verbindung, Masse) 3,599. 417. 6,434. conlectus aquae (Sammlung) 4,416. connexus 1,627. conspectus (abl.) 3,49. contentus 3,65. conventus 1,608. coortus 5,512. (accusat.) 2,1005. visus 4,275. (visu 5,102. accusat. 4,106.); diu 4,212. = dies sub diu, Forbig. Lachm. ad 4,211. p. 226.); opinatus animi (Vermuthung) 4,467. ejectus animai (das Athmen) 4,957. oppressus (ablat.) 1,882. flexus viarum 3,586. ortus 1,213. fluctus 6,553., fl. odorum (Ausströmung) 4,679. foetus sive fetus 1,194. 779. 2,358. fretus (ablat.) 1,721. = fretum (Forbig. 6,364. fretus anni, der Frühling als Uebergangszeit von der Kälte zur Hitze); anfractus (Krümmung, Biegung) 1,719. gestus 5,1021. habitus 3,100. hinnitus 5,1072. jactus 3,1029. (jactus animi, Schwung des Geistes, 2,1046.); ictus (Stoss) 1,223. impetus, impetis (genit.), impete (ablat.) 5,813. 6,326. 4,418. 2,326.; impetibus 1,294. in promptu (sichtbar, in Bereitschaft) 1,878. 2,148. 584. 867. lapsus 6,323. luctus 6,1246. morsus 3,901. meatus 6,300. m. lunae, Lauf des Mondes, 5,77.; motus 1,382. nixus (nixibus ex alvo matris, das Gebären) 2,526. natus (ablat.) 4,1115. obitus solis = occasus 5,707. 4,394. offensus 6,332. 2,223. = conflictus (das Anstossen, Zusammenstossen). tonitrus 6,164. 174. 5,551.

Declinatio quinta.

Genitivum singularis numeri quinti ordinis veteres similem nominativo reddidisse jam Ansonius Popma l. l. p. 593. docuit et exemplis comprobavit. Lucretius hanc genitivi formam effert 4,1079. (1083.): rabies unde illaec germina surgunt. Gellius IV, 14. Priscian. VII, 19. §. 93. p. 781. P. Rudd. inst. Gr. I. p. 106. not. 52. Schneid. Gr. lat. II. p. 355. Gr. March. p. 157. Interdum genitivum extrema littera **i** abjecta formari notum est (Virgil. Georg. 1, 208. Libra die somnique pares ubi fecerit horas. Voss.), in Lucretii carmine nullum exemplum invenitur; nam quod offert Popma p. 593. exemplum depravata lectione nititur, 1,401. Ramsh. Gr. l. min. §. 31. In editionibus nonnullis 1,689. scribitur:

„neque ullae

praeterea rei **i**, quae corpora mittere possit”

geminata **i** finali. Lachmannus autem p. 151. lib. 3, 227. adnotavit: ceterum in his quintae declinationis formis **i** duplex neque rationem habet neque auctoritatem. Forbiger. ad 6, 919. Schneid. Gr. lat. II. p. 355. Grotel. Gr. lat. T. II. §. 6. II. In libro V, 103. scribendum fidei, non fideii, et 5, 285. disperit ei, non eii. Anson. Popma p. 561.

Pauca addenda videntur de substantivis quibusdam singulari quadam forma sive terminatione, quae Lucretius amat vel quae ei propria sunt. Lucretius substantiva quaedam abstracta, quae ab adjectivis secundi ordinis descendunt, terminat in **or**: amaror i. q. amaritudo 4, 225. aegror (aeger) i. q. aegritudo 6, 1137. canor i. q. cantus 4, 908. sonor i. q. sonitus 4, 230. 6, 935. aequor i. q. aequor plani, campi, planities 4, 1015. aequor i. q. aequabilitas 4, 106. Auson. Popma l. l. p. 585.

Nonnulla substantiva efferuntur in **tas**, ut differitas (4, 638.), quod Nonius citat (II, 207.) et per differentiam interpretatur; maximitas (2, 498.), nomen Lucretio soli proprium, quod idem Nonius affert (II, 579.). Alia hujus generis substantiva apud alios scriptores obvia adnotavit Ausonius Popma l. l. p. 585: solitas, famulitas, vicissitas, squalitas, dulcitas, ponderitas (Attius), luculentitas, pulcritas, opulentitas, indulcitas (Caecilius), infortunitas (Gellius). Rudd. inst. Gr. I. p. 121.

Multis quoque substantivis verbalibus in **men** terminatis utitur Lucretius: numen 5, 123. 3, 18. 3, 145. 5, 310. acumen 4, 433. 6, 1192. augmen corporis 2, 494. 6, 607. cacumen 1, 600. certamen 5, 785. conamen i. q. conatus 6, 325. 835. vocamen i. q. vocabulum 2, 656. fragmen 1, 285. 5, 1283. momen i. q. momentum 3, 183. 1115. duramen i. q. duramentum 6, 529. documen i. q. documentum 6, 394. glomeramen i. q. globus, convolutus 2, 685. regimen 3, 95. vermina saeva i. q. vermes (das von Würmern erzeugte Leibschniden) 5, 995. crimen 3, 49. flamen venti 1, 291. flamina ferri i. q. flatus 6, 134. flumen sanguinis (a fluo) 2, 359. 6, 256. foramen 2, 386. molimen i. q. molimentum 4, 900. tegmen i. q. tegimen 2, 661. 3, 649. volumen 4, 591., ubi alii velamina vel vallamina legunt.

Permulta substantiva verbalia terminantur in **entia**: retinentia i. q. memoria 3, 675. repetentia (recordatio, Rückerinnerung) 3, 863. variantia i. q. diversitas (die Verschiedenheit) 1, 654. 3, 329. distantia i. q. discrimen 4, 640. Ausonius Popma alia ex Cicerone, Sallustio, Attio, Plauto affert l. l. c. VIII. p. 585: decentia, audientia, dispicientia, discrepantia, cohaerentia, curantia, negantia, profluentia, repugnantia, properantia, faventia, incogitantia, servientia.

Multa adjectiva sunt perinde vel tertiae vel primae et secundae declinationis, ut sublimus et sublimis: sublima coeli 1, 341. Nonius VIII, 45. p. 759. sterilus et sterilis 2, 845: sonitu sterila, hilarus 2, 1122. Lachm.; inermus 5, 1291: nuda et inerma. Similiter hilarus, gracilus in usu est, 2, 1122. exanimus: corpus ut exanimus 6, 706. 1255. 1272. suaviloquus et suaviloquens 1, 944. suaviloquenti carmine 4, 20. suaviloquis versibus 2, 529. imbecillus 3, 603. 1, 847. (Sanctii Minerva lib. I. cap. 9. fin.); proclivus 6, 729. proclivis 2, 455.

Rariora adjectiva sunt: 1, 11. genitabilis aura Favoni; aversabilis (abscheulich) 6, 984. aerumnabilis i. q. aerumnosus 6, 1230. (Auson. Popma l. l. p. 585.); spirabilis, naturabilis. Cicero. necessum 2, 467. 724. 4, 120. 5, 58. Lachmannus p. 396. adnotavit 6, 815. „Donatus ad Terentii Eunuchum V, 5, 28. necesse (legendum necessus) est nomen: nam necessus (addendum et necesse), necesis et necessitas et necessum lectum est.” necessus fuit legitur apud Terentium in Eunucho V, 5, 28. Accusativo neutrius generis Lucretius in 2, 289. mire adjectivum addidit: necessum intestinum, sed necessu, quod exemplaria vetera habent in

eodem libro v. 468., non potest intellegi; necessu est Oblongus in 4, 516. Gr. March. p. 200. Vossius de Analog. c. 46. fin.

De comparatione.

De comparativis nihil monendum videtur, nisi quod superlativi forma adjectivi parvus promiscue usurpatur; parvissimus 1, 616. et minimus 1, 622. 3, 200. (Forbig. ad 1, 616.), et quod 5, 481. legitur maxuma (Lachm. ad 2, 867.), proximus. Forbigeri praefat. p. XX.

Constructions autem quaedam Lucretio propriae notandae sunt, ut: quo magis — tam magis.

2, 197: non, quo magis ursinus altum

directa, et magna vi multi pressimus aegre,

tam cupide sursum revomit magis atque remittit.

2, 385: dicere enim possis caelestem fulminis ignem

suptilem magis e parvis constare figuris.

4, 1085. (1089.): unaque res haec est, cujus quo magis plurima habemus,

tam magis ardescit dira cuppedine pectus.

Lachmannus ad 2, 586. adnotavit, Lucretium non dicere quam magis, tam magis, sed quo vel quanto magis (semel quam quoque magis 6, 460.), tam magis.

4, 1002: tam magis in somnis eadem saevire necessust.

Mage pro magis 4, 81. (79.) legitur:

et quanto circum mage sunt angusta theatri

moenia, tam magis haec intus perfusa lepore;

omnia conrident correpta luce diei.

4, 344. mage pollens, 4, 758: nisi quod mage tenuia cernit.

5, 1202: sed mage placata posse omnia mente teneri.

Nunquam autem forma mage ante vocalem reperitur; mage enim ultima vocali elisa non dicitur in hexametro. Lachm. ad 6, 1262.

1, 29: quo magis aeternum da dictis, diva, leporem.

1, 70: sed eo magis acrem

irritat virtutem animi etc.

Nihilo magis — quam.

2, 56: interdum nilo quae sunt metuenda magis, quam

quae pueri in tenebris pavitant finguntque futura.

Hoc magis 2, 124., magis ac magis 3, 545., minus et minus ibid.

6, 100: verum ubi cumque magis denso sunt agmine nubes,

tam magis hinc magno fremitus fit murmure saepe.

Quanto magis — hoc magis.

2, 826: quin etiam quanto in partes res quaeque minutas

distrahitur magis, hoc magis est, ut cernere possis.

Quanto plus — tam magis.

- 4, 252. (250.): et quanto plus aëris ante agitur
et nostros oculos perterget longior aura,
tam procul esse magis res quaeque remota videtur.
scilicet haec summe celeri ratione geruntur. etc.

Summe pro maxime ut 4, 1137. summeque secundo.

- 5, 1225: infra magis nihil est hac natura.
3, 275: nec magis hac infra quidquam est in corpore nostro.

Quanto magis — tam magis.

- 5, 453: quae quanto magis inter se perplexa coibant,
tam magis expressere ea, quae mare, sidera, solem
lunamque efficerent. etc.

- 5, 484 — 488: inque dies quanto circum magis aetheris aestus
et radii solis cogeant undique terram,
verberibus crebris extrema a limini parte
in medio ut propulsa suo condensa coiret,
tam magis expressus salsus de corpore sudor.

Quanto magis — tanto minus, tanto magis.

- 5, 622. 5, 631: quanto quaeque magis sint terram sidera propter,
tanto posse minus cum coeli turbine ferri.
flaccidiore etiam quanto jam turbine fertur,
inferior quam sol, tanto magis omnia signa.
hunc adipiscuntur circum praeterque feruntur.

Magis circumscribit comparativum: 6, 99. magis denso.

- 2, 385: subtilem magis e parvis constare figuris.
5, 705: inque dies majus lumen convertere nobis
ad speciem, quantum solis secedit ab urbe.
1, 742: graviter magni multoque minores.

Superlativus circumscribitur vocē perquam: 1, 730. perquam pauxillo minores.
5, 590. perparvum. 5, 588. minus et minus. 3, 546. parum multa i. q. pauca. 2, 336.
perquam i. q. maxime. 3, 181. minutis perquam corporibus factum constare. 3, 187: at,
quod mobile tantopere est, constare rotundis perquam seminibus debet perquamque
minutis. 3, 230. perquam pauxillis.

- 6, 460: fit quoque, uti montis vicina cacumina coelo
quam sint quoque magis, tanto magis edita fument
adsidue furvae nubis caligine crassa
propterea quia, cum consistunt nubila primum,
ante videre oculi quam possint tenuia, venti
portantes cogunt ad summa cacumina montis.
3, 700: tanto quique magis cum corpore fusa peribit.

5, 343: tanto quique magis victus fateare necesse est.
Lachmann. ad 6, 459: „ut hic *quam quoque magis*, ita *tanto quique magis* in 3, 700. et
in 5, 343, um je wie viel mehr, um je so viel mehr. Haec qui similiter dixerit neminem
novi, sed proximum est multo tanto amplius, quo Plautus utitur in Menaechmis
V, 2, 49.”

4, 170: at contra quae cumque magis cum pondere magno
asperaque inveniuntur, eo stabilita magis sunt.
Summa summarum 3, 817. 5, 362. ut illud rex regum Agamemnon. Vellej. Patere. 1, 1.
Sophocl. Philoct. 65., habet vim superlativi.

Pronomina.

Lucretius alius pronominum formas aliamque flexionem usurpavit, ac posteriore tempore efferi solebant. Verbi causa in editionibus quibusdam lib. 6, 402. legitur:

An, simul ac nubes succedere, ipse in aestum descendit, prope ut hinc teli determinet ictus?

ubi alii editores exhibent: ipse in eas tum. Apud comicos certe forma ipsus haud rara est. Priscian. XIII, 3. §. 11. p. 958.

Ollus pro ille saepissime reperitur, ut: 2, 1003. ollis.

1, 672: proinde aliquit superare necesse est incolume ollis.

2, 63: quaeque sit ollis reddita mobilitas magnum
per inane meandi.

3, 270 : et mobilis illa

vis, initum motus ab se quae dividit ollis.

4, 178. quae mobilitas ollis. 5, 383. ollis. 5, 1389: haec animos ollis mulcebant. Forbigerus genitivum singularis numeri generis feminini exhibet ollae 4, 1079: rabies unde ollae germina surgunt, ubi Lachmannus (1083.) scribit: rabies unde illaec germina surgunt. De insolentiori forma genitivi illae pro illius conferri potest Ruddim. inst. Gr. I. p. 53. Quamvis autem Virgilius et Comici pronomen ollus, olius, olli flectant, Lucretius tamen nonnisi dativo et ablativo pluralis numeri videtur usus esse. Forbigerus o pro u sequi jubet post qu in vocibus quom, quomque, quicomque, quouis, quoi pro cum, cunque, quicumque, cujus, cui. Praefat. XVI. Sed Lachmannus cujus, cui exhibuit.

Dativus pluralis numeri formatur *ibus* pro *iis*.

2, 87: neque enim mirum, durissima quae sint
ponderibus solidis neque quicquam a tergo i bus obstet.

Lachmann. ad 4, 933. p. 262. Forbiger. ad 2, 87. Idem archaismus occurrit apud Plantum Mil. glorios. 1, 1, 741. Similiter veteres dixerunt *dibus* pro *diis*, *filibus* pro *filiis*, *hibus* pro *his*.

Festus et Macrobius em et im pro eum notant. Auson. *Popma* l. l. lib. I. c. 10. Ennius : omnes corde patrem praebeant animoque parentum circumfusi im. Terent. in *Phormione* : im

faxo tali immistum, ut hic nunc est infortunio. Cato in *M. Coelium*: si em percussi. Unde factum videtur, ut Creechius lib. 3, 445. excudendum curaret:

corpore qui nostro rarus magis am cohibessit?
pro: rarus magis is cohibessit?

Lucretius feminino genere pluralis in libro 3, v. 601. haec dixit, non hae. Lachmannus ad 6, 456. p. 372., et Ausonius Popma monet Plautum et Terentium hic, haec, istaec pro hi, hae, istae dixisse.

Neutrum pronominis alius est alid, 1, 264., vel alit (Lachm. ad 5, 257. p. 286.); pariter scribitur aliut 1, 469. 5, 765. 832. 6, 995. (Lachmann. ad 1, 780. p. 53.), quit 5, 527. et 545., quicquit 3, 787. 5, 131., aliquit 1, 977. 4, 1134.

1, 780: quando alid ex alio reficit natura, etc. 5, 258: praeterea pro parte sua quodcumque alid auget, redditur. Genitivus pronominis alius generis feminini formatur aliae 3, 931., genitivus pluralis alium 1, 882., dativus alis pro aliis 4, 639: ut quod alis (Lachm. ali) cibus est, aliis fuit acre venenum. Lachm. ad 4, 637. p. 249. Priscian. p. 1014. Aliter quoque, ab eo quod est hic alis, hujus alis, huic ali pro alius, alius, alii. 6, 1226. nam quod ali dederat vitalis aëris auras.

Obsoletior forma ablativi pronominis relativi qui reperitur qui: 4, 617. quid vobis certius ipsis sensibus esse potest, qui vera ac falsa notemus. Forbiger. ad h. l. Priscian. XV, 3. §. 15. p. 1011. Ramsh. Gr. lat. p. 494. not. 4.

4, 635: nunc aliis alius qui sit cibus unicus aptus, expediam.

Qui dictum est pro quae 4, 1031: nuntia praeclari voltus pulchrique coloris, qui ciet, etc.

Quis pro quae scriptum est 5, 561: quis potis est nisi vis animi, quae membra gubernat. Priscianus enim docet quis apud vetustissimos Romanos generis communis fuisse (Priscian. XIII, 13. §. 13. p. 960.), Lachmannus autem scribit quid, Tanaq. Fabrum secutus.

Sis pro suis occurrit 3, 1038. (1025.): lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit. Priscian. XIII, 2. §. 4. p. 955. Sis, sos et sas pro suis, suos, suas Ennius apud Festum. Auson. Popma l. l. lib. I. c. 10. p. 599.

De verbis.

In Lucretii carmine non solum formae obsoletiores temporum et modorum reperiuntur, sed etiam alia verba patiendi habent terminationes loco agendi, alia agendi loco patiendi. Idem mutat significationes verborum, ut, quae patientia vulgo sunt, agendi vim pleraque habeant. Conjugationum quoque quae dicuntur magna varietas est et inconstantia, multaue verba duplici conjugatione inflexa reperiuntur.

I. Formae obsoletae verbi sum hae leguntur:

a) Escit pro erit.

1, 620: ergo rerum inter summam minimamque quid escit?

Festus etiam composita obescit et superescit ex Ennio et Attio laudat. Forbig. ad h. l.

b) Conjunctivus praesentis fuat vel fiat pro sit reperitur 4,639. Forbiger.:
ut quod ali(s) cibus est, aliis fuat acre venenum.

c) Siet pro sit.

2,4079: quin aliquoius siet secli, permultaque eodem sint genere.

3,102: nulla quom in parte siet mens.

2. Imperfecti indicativus verborum quorundam quartae conjugationis per contractionem desinit in **ibam**, non **iebam**.

5,934: nec scibat ferro molirier arva.

5,951: necdum res igni scibant tractare.

5,1000.(1002.): hic temere incassum frustra mare saepe coortum,
saeyibat etc.

5,994: palmas horrifera accibant vocibus Orcum.

5,1323: et latera ac ventres hauribant subter equorum
cornibus etc.

Ruddim. inst. Gr. I. p. 281. not. Auson. Popma l. l. lib. I. c. 12. p. 606.

Similiter apud veteres futurum tempus tertii et quarti ordinis **ibo** formabatur: dormibo, largibo, expedito, reddibo, esuribo, scibo. Auson. Popma p. 605.

3. Conjunctivus perfecti verbi credere formatur credunt pro crediderint per synecphonesin.

5,780: tollere et incertis credunt committere ventis.

Quam formam Lachmannus improbens emendat **erunt** p. 341. Aliae huiusmodi formae sunt **perduim** et **duim**. Zumpt. Gr. lat. §. 162. Schulgrammatik der latein. Sprache v. F. Bleibimhaus. Zürich 1832. §. 742. 4. Auson. Popma p. 605 sq.

4. In perfectis in **si** vel **xi** desinentibus saepe ejicitur **is** syllaba vel **vi** per syncopen: **conturbât** pro conturbavit: 5,443. concursus, motus **conturbât** proelia miscens. Huiusmodi perfectis contractis Lucretius ante vocalem tantum utitur: 1,71. inritât animi virtutem, 6,587. disturbât urbes. Lachm. ad 5,396.; quiesset 1,346. quisse 5,1044. 1426. confluet pro confluisset: 1,986. undique ponderibus solidis confluet ad imum. **consumse** pro consumsisse: 1,234. infinita aetas consumpse ante acta diesque. 3,683. cresse pro crevisse. remosse pro removisse 3,69. cesse pro cessisse 1,1104. surpere 3,69. **abstraxe** pro abstraxisse 3,650. Forbiger. ad 1,71. Ruddim. inst. Gr. I. p. 283. not. 96. desse pro deesse 1,1104. procraxe pro procraxisse 5,1158. cognoris 6,533. cognosse 1,332. remanse pro remansisse 3,69. suerint pro sueverint 4,394. suesse pro suevisse 5,910.

5. Conjunctivus perfecti et futurum exactum terminantur in **sim** et **so**: cohibessit pro cohibuerit 3,445. Similiter Livius 1,18. adclarassim pro adclaraverim. Ita ortae sunt formae illae: ausim, faxim, axim, velim. Bleibimhaus p. 539.

6. Notandae quoque sunt formae qualesere 5,1228. et petessere 3,648. 5,808., quod Festo teste significat saepe petere vel vehementer petere. Ruddim. instit. Gramm. I. p. 269.

7. Praeteritum verbi *mulgĕre* formatur *mulxi* pro *mulsi* 4, 1206., ubi Lachmannus exhibuit *vicit*, illam lectionem turpe Turnebi inventum dicens p. 275. De forma *mulxit* cf. Priscian. IX, 9. 50. p. 870. Rudd. inst. Gr. I. p. 221. not. 2.

8. Interdum tempus praeteritum a praesenti deducitur: intellegi, neglegi 6, 17. Lachm. p. 350. Auson. Popma l. l. p. 605., qui alia hujusmodi verba protulit.

9. Verbum *fero* perfectum habet *tetuli* 6, 673. Forbiger. not.:

sunt ubi forte ita se tetulerunt semina aquarum.

Similiter praeteritum faciunt: mordeo, memordi; posco, peposci; tendo, tetendi; pungo, pepugi; spondeo, spepondi; curro, cecurri; scindo, scescidi. Gellius Noct. Att. 7, 9. Vechneri Hellenolexia lib. I. c. 9. appendicula.

10. Imperativum verbi *facere* protulit Lucretius *face* pro *fac* 2, 485. 3, 422. Forbig. Auson. Popma I, 12. p. 605. Pariter alii poëtae dice, duce, edice, abduce, reduce dixerunt.

II. *Potesse* usurpatur pro *posse*.

1, 666: quodsi forte alia credunt ratione *potesse*
ignis in coetu stingui.

5, 879: hinc illinc partis ut si par esse potissit.

Lachm. p. 316. Ipsum passivum *potestur* occurrit sequente infinitivo passivi 3, 1010. (1023.):
quod tamen expleri nulla ratione *potestur*.

De forma *potestur* cf. Festus sub voce, Diomedes I. p. 380. Nonius X, 34. Ruddim. inst. Gr. I. p. 274. not. 54. Gramm. March. p. 389. Ramshorn. Gr. min. §. 64. not.

Pro *potest* dicitur quoque *potis* est 1, 453. 3, 1092. 2, 911. 2, 1096. 3, 469. 1082. 4, 1238. 5, 1. 561. 718.

12. Conjunctivus praesentis verbi *volo* profertur *volim*: 2, 1047. atque animi jactus liber quo pervoluit. Priscian. IX, 1. 8. p. 848. P. Forbiger. ad h. l. Lachmannus edidit **pervolet**. Ramshorn. Gr. min. §. 62, 5. c. §. 64. not.

13. Verbum etiam *queo* in passivo sequente infinitivo passivi invenitur 1, 1044. (Forbiger. not. Gramm. March. c. 17. p. 398.):

dum veniant aliae, ac suppleri summa **queatur**.

14. Editores quidam supinum verbi *edere* exhibent *estu* 6, 973. Est autem *estu* conjectura Vossii, quam Wak. et Forbiger. in textum receperunt; probari enim exemplis haec forma supini non potest. cf. Diomedes I. p. 358. Priscian. p. 892. Emendavit igitur Lachmannus *esca*: — qua nil est homini quod amariu' frondeat *esca*.

15. Saepissime infinitivo praesentis passivi per paragogen additur syllaba **er**: accendier 6, 902. reperier 4, 482. celarier 3, 444. volvier 5, 715. trahier 6, 1188. secernier 3, 264. cunctarier 3, 67. credier 4, 850. pulsarier 4, 932. differrier 1, 1087. gignier 3, 623. jactarier 6, 556. mutarier 5, 1378. mittier 4, 47. proferrier 1, 206. Rudd. inst. Gr. I. p. 284.

16. In editionibus quibusdam libro 5, v. 397. participium verbi *ambedere* (*ambesse*): „*ambens* ignis multa perussit”, legitur, pro quo alii scribunt *ambiens*, quod participium quum auctoritate veterum non comprobetur, Lachmannus haud dubie recte restituit *ambens*:
ignis enim superat et *ambens* multa perussit.

17. In libro 3, v. 942. usurpatum est participium **expergitus** a verbo **expergo** pro **expergefactus**. Forbigeri nota, Gronov. ad Liv. lib. 7. c. 36. **Expergitus** ab alio excitatus, quem solemus dicere **expergefactus**. Festus, Diomedes lib. I. p. 372.

Participium fictus pro fixus a verbo figo reperitur libro 3 v. 4:

inque tuis nunc

ficta pedum pono pressis vestigia signis.

Veteres enim teste Diomede p. 373. supinum verbi figere formant etiam fictum. Rudd. inst. Gr. I. p. 240. not. 13. Forbiger. not. ad h. l.

Participium perfecti passivi verbi pando formatur **pansum** 1,306. (Forbiger. not. Lachmann. p. 201.): eadem **dispansae** in sole **serescunt**. Prudent. Cathem. 12, 170. **Pansis** in altum **brachiis**.

Participia opposta 4,151., disposta 1,47. 2,643., posta 1,1058. 3,870. supra commemorata sunt.

18. Participia verborum neutrorum passive usurpantur: 4,765. (Forbig. not.) **offecti** pro **obstructi**:

quod omnes

corporis **offecti** sensus per membra quiescunt.

5,774. **effectum** lumen. Officere in passivo cum nominativo construitur.

2,154:

quapropter simul inter se retrahuntur et extra

officiuntur, uti cogantur tardius ire.

19. Complura verba duplici conjugatione quam dicunt inflexa leguntur, ut prima et secunda: **densare** et **densere**: **denseri** 1,657. **densarier** 1,396. **densabant** 5,492. **densendo** 6,482. **denseri** 1,662. **condenseat** aer 1,393.

Sonare et **sonere**: 1,826. **confiteare** et **re** et **sonita distare** **sonanti**. 5,1352. **sonantes**.

3,157. **caligare oculos**, **sonere aureis**, **succidere artus**. 3,886. **sonere**. 4,230. **sonare**, et **sentire sonare**.

Pro **lavare** invenitur **lavere**.

5,948.

quibus e scibant umori' fluente

lubrica proluvie larga **lavere** umida saxa.

2,376. nonnulli editores scribunt **lavit** pro **pavit**. Lachmann. ad h. l. Forbiger.

Cupire pro **cupere** occurrit 1,72. (Forbiger. ad h. l.): naturae primus portarum claustra **cupiret**.

Dicatur et **dementare** et **dementire**: 3,465. **dementit** enim **deliraeque fatur**.

Secunda et tertia conjugatione permutatur **pellicere** et **pellicere**: 6,1000. quae ferri **pelliceat vim**, Forbiger., sed Lachmannus scribit **pelliciat**. 5,1005. **subdola pellicere** in fraudem.

Possidere ad tertiam flectitur conjugationem: 1,387. inter corpora quod fiat **possidat** inane; quae forma praesentis verbi **possidere** alibi occurrere non videtur.

Fulgere pro **fulgere** positum est 5,1093. (Forbig. Ruddim. inst. Gr. I. p. 277. not. 67.): **fulgere**, quom coeli donavit plaga vapores.

6, 165. sed tonitrum fit uti post auribus accipiamus,
fulgēre quam cernant oculi, etc.

6, 160. fulgit item, nubes ignis quom semina multa
excussere suo concursu.

6, 212. expressa profundunt
semina, quae faciunt flammae fulgēre colores.

Lachmannus scribit fulgore, fulgēre Lucretium producte dicere negans. Lachm. ad 5, 768.

6, 173. et tremulo tempestas impete fulgit.

6, 218. fulget domus argento. 2, 27. fulget luna nitore. 5, 767. 572. fulgent
loca. 2, 800. refulget.

Stridēre: 6, 149. stridit ferrum e fornacibus.

Fervēre dicitur pro fervēre:

2, 41. fervēre quom videas belli simulacra cientis.

6, 442. excitat ingenti sonitu mare, fervēre cogens.

Lachm. ad 2, 44. Forbig. ad 5, 1093. et 3, 22. Ruddim. inst. Gr. I. p. 219. not. 80.

Obsidēre: 4, 352. obsiditque vias oculorum, ne simulacra possint etc.

4, 1088. quas quoniam certas possunt obsidere partis.

Possidēre et possidēre. Nonius VII, 75.

1, 387. inter corpora quod fiat, possidat inane. 5, 610. possideat. 1, 390. pos-
sideantur. 2, 587. possidet quae res multas in se vis.

Reddire pro reddēre ad quartam flectitur conjugationem. Forbiger. 4, 763. not.: Red-
dita vita jam mors et terra potita est. Lachmannus scribit: Reddita pro vita jam
mors et terra potita'st. Lachmannus notat: Havercampum et Wakefieldum cum suis non
puduit ex reddibo Plautino, quod media brevi est, portentum verbi fingere,
unde fieret reddita media producta.

Germanicus in prognosticis 1, 6. dicit: „at geminis leviter perstridunt caerulea venti.”

Lachmannus ad 6, 350. notavit participium verbi **perfigere** nullum alium auctorem habere,
quam Lucretium: 2, 360. perfixa juveni desiderio mater. 6, 392. perfixo pectore.

Wak., Orell., Eichst. 3, 22. exhibent:

semper innubilis aether

integer et large diffuso lumine ridit. Forbigerus ridet, Lachmannus recte
rident sc. deorum sedes, non aether. Diomedes I. p. 378. perhibet veteres etiam
ridunt dixisse.

Scatēre verbum tertiae conjugationis est: 5, 41. scatit terra ferarum.

6, 892. quod genus endo mari mari'st Aradi fons, dulcis aquai
qui scatit et salsas circum se dimovet undas.

5, 597. scatere totius mundi fontem. 5, 950. 6, 896. Cf. Eutyches Gr. ap. Putsch. p. 2185.

Dicitur tueor, contueor, tuor et contuor:

1, 301. nec validos aestus **tuimur**, nec frigora quimus
usurpare oculis, nec voces cernere suemus.

- 4, 225 : dilataque contra
quom tuimur misceri absinthia, tangit amaror.
4, 39 : quom saepe figuras
contuimur miras simulacraque luce carentum.
4, 361. fit quasi ut ad tornum saxorum structa tuamur.
1, 196. tueri vitam. 5, 75. tuetur divum metus divum sancta simulacra. 4, 338.
tuemur e tenebris. 1, 153. tuentur homines multa in terris coeloque fieri.
4, 1001. tuantur canes facies ignotas. 5, 319. tuere hoc circum supraque. 6, 634.
contueare plane bene propositum. 4, 415. inque tueri gallum leones nequeunt.
Alia verba protulit Ausonius Popma l. l. p. 603.

Non solum verba composita verbi facere, quae vocalem **a** retinent, passivum formant fieri, sed alia etiam, quae **a** in **i** mutant, velut interfieri pro interfici 3, 885. (872.) [Forbiger. Ruddim. inst. Gr. I. p. 269. not. 25.]: aut flammis interfiat malivae ferarum; confieri: 2, 1068. geri debent nimirum et confieri res. 4, 292. quoniam res confit utraque. 5, 809. ne forte ex homine et veterino semine equorum confieri credas Centauros posse neque esse. 3, 413. confiet id non sine perniciē. 2, 1142. deficit cibus grandi aevo. 3, 221. nec deficit ponderis hilum. 3, 514. commutare animum quiquomque adoritur et infit. 5, 1207. caput erigere infit (incipit); vacefieri: 6, 1004. hoc ubi inanitur spatium multasque vacefit in medio locus. 6, 1016. unde vacefit quomque locus.

De verbo interdare aliisque compositis verbi dare ad conjugationem primam flexis
confer. Ruddim. inst. Gr. I. p. 210. not. 20. interdare: 4, 869. et recreet vires
interdatis. 5, 469. corpore concreto circumdatus undique. 1, 88. virgineos
circumdatis contus.

Composita, quae conjugationem simplicis refinent, sunt: circumdare, interdare, pessumdare, satsidare, superdare.

20. Forma activa loco deponentis reperitur.

Partire pro partiri dicitur 5, 683. Aetheris oras partit.

Vagare pro vagari dictum esse Forbigerus ad 3, 628. notat. Lachmannus autem dicit: Lucretius alibi dixit vagaris, vagatur, vagantur, vagetur: cur ego credam eum semel aut bis sine causa vagare scribere maluisse quam vagari? Negari tamen nequit et vagari et vagare dictum esse a veteribus.

Comitari verbum, quod alias agendi vim habet, patiendi notione invenitur.

1, 98. non ut, solenni more sacrorum
perfecto, posset claro comitari hymenaeos.

Forbigerus 6, 48. depravatam lectionem exhortant in textum recepit:

quandoquidem semel insignem conscendere currum
vectorem (ventorum) exhortant (et certant) plaudendo (plangentia) ut obvia
cursu (flamina rursum). Lachm.

Verba intransitiva passim pro transitivis, transitiva pro intransitivis ponuntur.

Corruere reperitur sensu transitivo:

5, 369. Ex infinito quae possint forte coorta

corruere hanc rerum violento turbine summam.

Insinuare pro insinuari:

5, 74. et quibus ille modis divum metus insinuarit

pectora.

Vertere pro verti vel se vertere:

4, 1126. interdum in pallam atque Alidensia Chiaque vertunt.

5, 829. omnia commutat natura et vertere cogit.

4, 311. inde retro rursum redit et convertit eodem.

Volvere: 5, 929. volventia (*κυλινδούμενα*) per coelum solis lustra.

Praecipitare: 6, 1039. atque eodem fertur, quo praecipitavit

jam semel, etc. etc.

4, 630.

Deinde voluptas est e suco fine palati,

quom vero deorsum per fauces praecipitavit.

Nulla voluptas est, dum diditur omnis in artus.

Turbare pro turbari: 2, 125. corpora, quae in solis radiis turbare videntur.

5, 505.

sinit haec violentis omnia verti

turbinibus, sinit incertis turbare procellis.

Trahere: 3, 396. nec, si jam posset, sine inani posset, opinor,

ipse in se trahere et partis conducere in unum.

Mutare: 1, 787. nec cessare haec inter se mutare.

Inclinare: 2, 243. quare etiam atque etiam paullum inclinare necesse est

corpora.

Reflectere: 3, 502. inde ubi jam morbi reflexit causa.

Intendere: 5, 514. inde alium supra fluere atque intendere deorsum.

Retinere: 6, 520. at retinere diu pluviae longumque morari

consuerunt.

Exsuperare dicitur pro superesse:

5, 385.

vel quom sol et vapor omnis,

omnibus epotis humoribus, exsuperarint.

6, 1276.

nec jam religio divom neque numina magni

pendebantur: enim praesens dolor exsuperabat.

Superare pro superesse dicitur 1, 673. 790. 2, 570. 5, 804.

Suppeditare ponitur pro suppetere:

1, 548.

materies ut suppeditet rebus reparandis.

Revertere ponitur pro reverti 3, 1074. subitoque revertit, ubi alii legunt reventat.

Insinuare: 3, 484. insinuarit (se) causa durior. 5, 74. Conferri potest Vechneri

Hellenolexica lib. I. c. 6.

Consistere active usurpatur:

- 6, 11. nam cum vidit hic ad victum quae flagitat usus
omnia jam ferme mortalibus esse parata
et, pro quam posset, vitam consistere tutam.

Consuescere pro consuefacere:

- 6, 397. an tum brachia consuescunt firmantque lacertos.

Prorumpo et prorumpor: 6, 436. prorumpitur in mare venti vis. 6, 591. prorumpit nisi ventus. Erumpitur (erumpit) vis foras.

- 6, 583. faucibus eruptos iterum vis ut vomat ignes.

Ubi jam trepidatur. 3, 597. penetratum semen (quod penetravit). 4, 1242. penetrabat eos (in mentem ipsis veniebat). 5, 1261. penetrari India ut nequeat.**Ruere (active i. q. impellere, rapere):** 1, 273. ruit vis venti naves; intransitive: 1, 1098. ruant coeli templa superne.**Declinare et active et intransitive usurpatur:** 2, 259. declinamus item motus.

- 2, 221. declinare nisi corpora solerent.

- 2, 250. sed nihil omnino recta regione viai

declinare, quis est, qui possit cernere, sese?

De adverbiiis.

Adverbiis etiam quae dicuntur non solum rarioribus et obsoletioribus, sed etiam singulari quodam significato et constructione utitur Lucretius, e. g. desubito pro de subito 2, 265. 3, 643. pro porro = ulterius, deinceps 2, 978. = longe 3, 276. 5, 313. Lachmann. p. 288. (ferner, weiter, geradehin). retro (contra, vicissim) 1, 767. retro putari magis queunt. 1, 785. 3, 662. 5, 724. alibi 2, 1064., alicunde (ex alio loco) 5, 523., alioqui 3, 416. (sonst, überhaupt).

Frequentissima sunt adverbia derivata in **e** desinentia: assidue 2, 591. 4, 1124. 6, 461. belle 1, 644. (hübsch, fein). blande (liebkosend, schmeichlerisch) 2, 320. blande coruscant agni. 5, 1066. cupide 1, 17. 2, 199. inferne 6, 187. 6, 597. (unten). inceste 1, 99. (impure, impie, unrein, sündlich). acute 4, 801. (scharf). mage 4, 79. 344. aegre 2, 98. aegrius (difficilius) 4, 468. alte 1, 590. arete 1, 611. 4, 1075. (eng, dicht, fest, herzlich). 6, 1009. desidiöse 4, 1129. (träge). foede 1, 63. 86. 4, 170. 5, 1223. (scheusslich, schmähtlich). horrifice 4, 40. solute 4, 53. (schlaff, nachlässig, frei). torte 4, 306. (schief, krumm). vage 3, 872. (incerto errore, weit umher, zerstreut). summe (maxime) 4, 255. 4, 1137. 5, 1225. rite 1, 496. (auf herkömmliche, gewöhnliche Weise). vaste 1, 956. (gewaltig). misere 3, 874. 3, 911. minute 1, 889. 6, 353. (in kleine Theile, klein). mire 4, 750. (wunderbar, erstaunlich). parce 5, 117. (kärzlich, wenig). perverse 1, 1068. (verkehrt, auf verkehrte Weise). proclive, proclivius 2, 792. 3, 312. modice 5, 507. occulte 1, 315. (heimlich, unvermerkt). superbe 5, 1221. superne 1, 497. 1, 1098. 2, 1154. 4, 174. (oberwärts, oben). aliunde 3, 134.

Non minus frequenter reperiuntur adverbia in **ter** desinentia: incunctanter 3, 490. (ohne Zögern), ubi alii inconstanter legunt. largiter 6, 622. 1112. breviter 6, 1081.

fluenter (fliessend, fluxu quodam) 6, 931. 4, 226. 6, 520. fluenter ferri (abfliessen). duriter 5, 1401. acriter 2, 953. acrius 3, 54. genitaliter (ad procreandum) semina apta 4, 1254. (zur Zeugung gehörig, fruchtbar). insedabiliter (insatiabili cupiditate, unauslöschlich) 6, 1174. subtiliter 3, 739. 6, 1030. vitaliter (vitalem in modum, mit Leben) 5, 146. contrectabiliter 4, 664. (mit sanfter Berührung). suaviter 4, 627. uniter 3, 851. 5, 538. 5, 556. 559. (in Eins verbunden). pariter 3, 933. mobiliter 4, 791. 6, 234. (beweglich, schnell). properanter 5, 301. (eilend). permanenter 6, 916. (hindurchdringend). moderanter 2, 1095. (mit Mässigung). vehementer 2, 1022.

Lucretius vehementer amat adverbia in **tim** desinentia (et a participiis perfecti descendunt): praesertim 2, 1058. insertim 2, 114. (hineinfügend, se inserendo). accervatim 6, 1261. (haufenweis). adumbratim 4, 364. (nur in undeutlichen Umrissen, non exacte). gravatim 3, 388. (mit Umständen, ungern, aegre, difficulter). articulatum 4, 559. (gliederweise, Stück für Stück). blanditum 2, 173. (liebkosend). catervatim 6, 1142. (schaarenweise). confestim 4, 190. (eilends, unverzüglich). contentim 5, 1125. (geringschätzend, verächtlicherweise). filatim 2, 830. (fadenweise). generatim 1, 21. 2, 347. (klassenweise). membratim 3, 526. (gliederweise). minutatim 2, 1130. 5, 708. (stückweise). singillatim 2, 152. 4, 104. (einzeln). particulatim 3, 541. (stückweise). pedetentim 5, 534. 1451. (Fuss für Fuss). propriatim (proprie) 1, 781. 2, 974. raptim 1, 1090. 3, 1018. 6, 604. (hastig, eilends). summam 3, 261. (im Ganzen, oberflächlich, kurz). viratim 2, 1176. (Mann für Mann). mixtum 3, 565. (vermischt). moderatim 3, 384. (allmählich). furtim 4, 1172. (verstohlenerweise). passim 1, 823. 2, 688. 3, 873. (ausgebreitet, hie und da). illim = illinc 3, 880. Lachm. Aus. Popm. I. c. 13. p. 608.

Noenu (male nenu) dicitur pro non 3, 200. 4, 716. Lachmannus ad 3, 198. observavit **noenum**, **noenu** sive **non** nihil aliud esse quam **ne ocnum** i. e. nec unum. Primus ita Jacobus Grimmus judicavit in grammatica Germanica, T. III. p. 745. Handius frustra negat Tursell. T. IV. p. 167. et 255. Hartung, Lehre von den Partikeln. T. II. p. 95. I. p. 293.

Alia adverbia sunt: noctu 3, 384. diu (sub diu [divo]) 4, 212. multimodis 1, 814. 894. omnimodis 2, 488. 3, 407. (auf jede Weise, gänzlich). mutua (mutuo, vicissim) 2, 75. 3, 802. 5, 1099. incassum 2, 1060. 5, 1128. (vergeblich, erfolglos). Cumulantur adverbia: 2, 1059. multimodis, temere, incassum frustra. 5, 1000. temere, incassum. 5, 1429. incassum frustra laborat. necessum (necesse) 2, 468. 120. 5, 58. praesto 2, 1008. 3, 778. praeterea 1, 504. praeterea quam 4, 815. Lachm. p. 257. pessum (deorsum, zu Boden, zu Grunde) 6, 589. palam 2, 569. 3, 356. — divinitus 1, 117. 151. secius (comparat.) minus 6, 315. procul 1, 812: procul magis remota res esse videtur. 4, 254. 4, 857. 6, 1103. penitus 1, 146. 227. (tief hinein). extrinsecus 2, 1107. 3, 722. (von aussen). introrsum animam trahere 3, 533. comminus 4, 1047. 6, 905. (aus der Nähe). minus 6, 905. (aus der Ferne). funditus 1, 479. 1, 992. (vom Grunde aus, im Grunde, in der Tiefe). radicitus 3, 311. (mit der Wurzel, von Grund aus, ganz). foris 2, 1056. 3, 1075. (draussen). foras 1, 978. 1106. 2, 200. 3, 496. 538. (nach aussen). age sis 1, 266.

agedum (*ἄγε δὲ*, mache nur, doch) 3, 975. Hartung, Partik. T. I. p. 285. quamde (*ἤπειρ* quam) 3, 794. 5, 138. Hartung l. l. T. I. p. 275. not. unde = *cujus* 4, 1044. ubi enim (*ὅπου γάρ*) 3, 163. proquam (perquam) 2, 1137. Lachm. 6, 11. p. 349. quasi si 4, 1008. quasi vero 6, 971. — sursum 2, 204. sursus versus 2, 188. 2, 1052. (oberwärts, aufwärts). seorsum 2, 473. 684. 3, 632. (wegwärts, abgesondert, besonders). seorsus 4, 495. 5, 449. rursum 1, 52. 216. 724. 765. 3, 1014. 1, 558. 2, 305. 5, 87. (rückwärts, wieder, von neuem). adversum 4, 446. 5, 1318. (entgegen). citro ultroque 3, 36. (hierher und dorthin, vorwärts und rückwärts). clam 1, 417. 5, 1156. (heimlich, versteckt). magis infra 3, 275. juxta 1, 846. juxta illis errare. eodem modo, quo illi (auf gleiche Art, eben so, eben so sehr als). alioqui quod 3, 415. in nonnullis editionibus reperitur, Lachmanno auctore spurium est, quod ante Livium hoc vocabulo nemo usus sit. Handius in Tursellini T. I. p. 236. — versus sursus 2, 188. (in altum, aufwärts). ultra 1, 960. (drüber hinaus). inde 1, 14. 170. inde loci 5, 438. 740. (ab illo loco). inde = *ejus* 5, 202. extra 2, 932. proinde 4, 652. 660. (ebenso). seorsum cum ablativo conjungitur significatione praepositionis sine 3, 563: seorsum toto corpore dispicere oculus ullam rem nequit. antehac 1, 542. insuper 6, 192. 522.

Praeterea in recensendis rerum argumentis nunc secundum, nunc alium locum obtinet, interdum quoque bis occurrit: principio 1, 504. praeterea 512. nunc 6, 608. praeterea 617. tum porro 624. praeterea 626.

Praepositiones.

Praeter praepositiones, quae apud reliquos scriptores reperiantur, quarum usus et positio interdum a vulgari sermone recedit, reperitur *indu* = *in* 2, 1096. *indu manu*; 6, 89. *indu mari*; 5, 103. *indu manus jacere* = *injacere*. Eadem praepositione in compositis utitur Lucretius: *indugredi* 1, 83. 4, 319. *indupediri* 4, 68. 5, 874. 6, 453. *induperator* 5, 1226. in cum accusativo, ubi expectatur ablativus: 1, 889. ac in terram latitare minute. Forbig. ad h. l. Lachmannus scribit *inter*. ab (post) coetu concilioque 2, 919.; ab igni (*ἀπὸ πυρός*) 6, 969.; non ab nulla ratione (cum aliqua ratione, non temere) 1, 934. 4, 10. 1064. 6, 969. (post et propter). **de** cum neutro adjectivorum circumscribit adverbia: de plano = plane h. e. simpliciter ac nude 1, 412. praeter justum (*παρὰ δίκαιον*) 4, 1237. pro re (prout res postulabat) suum quisque consortem humabat 6, 1280. propter (prope, juxta): propter aras 2, 353.; propter fontem 4, 1021. 1023. 6, 549. secundum (statim post) has res 3, 35. **tenus** construitur cum genitivo 1, 938. ut puerorum aetas improvida ludificetur laborum *tenus* 4, 15.

Praepositiones complures postponuntur: atque ollis juxta, quos diximus ante 1, 848. ne forte haec albis ex alba rearis 2, 731. nec, quae nigra cluent, de nigris, sed variis ex 2, 790. quibus e sumus uniter apti 3, 851. aut fontem propter amoenum 4, 1021. hic locus est Cumas apud 6, 749. Auson. Popma l. l. p. 618 sq. 623.

Conjunctiones.

Pauca de conjunctionibus, quibus Lucretius interdum utitur a vulgari usu recedens, videntur addenda. Sic in exponendis argumentis enumerandisque causis oritur: (principio) praeterea 1, 175. 226. nec porro 185. huc accedit uti 193. denique 200. 239. postremo 209. 250. — principio 1, 272. tum porro 298. denique 306. quin etiam 312. postremo 323. praeterea 347. denique 359. postremo 384. praeterea 701. adde etiam 713. — principio 1, 504. praeterea 512. — primum 1, 743. deinde 747. huc accedit item, quod 1, 754. denique 764. — nunc 6, 608. praeterea 617. tum porro 624. praeterea 626. — nunc igitur 1, 656. porro 691. praeterea 702. — primo 6, 826. posterius 827. — nunc age 2, 333. praeterea 342.

Caeterum circumscribitur formula quod superest 1, 45.

Formulâ fit quoque, ut interdum circumscribitur interdum quoque 6, 831.

Item copulatur cum quoque 5, 750. solis item quoque defectus.

Quando significatu vocis quoniam usurpatur 1, 189.

Pariter quandoquidem est quoniam 2, 969. quandoquidem non sunt ex ollis principiorum corporibus 2, 1087.

Etiam atque etiam 1, 295.

Etiam cum quoque conjunctum occurrit:

3, 293. est etiam quoque pacati status aëris ille,
pectore tranquillo fit qui voltuque sereno.

5, 578. est etiam quoque, ut possit coelum omne manere. 5, 603.

Sed magis idem est, quod **quin potius**, ἀλλὰ μᾶλλον: 1, 482. perspicere ut possis, res gestas funditus omnes non ita uti corpus per se constare, neque esse, — — — sed magis ut merito possis eventa vocare corporis atque loci.

1, 611. non ex ullorum conventu conciliata,

sed magis aeterna pollentia simplicitate.

Sed vero = ἀλλὰ μὲν: 4, 987. non homines solum, sed vero animalia cuncta. Hartung, Partik. T. II. p. 384.

Tam de subito ponitur pro tam cito 2, 265., denique pro tandem 3, 759: quare dissolvi quoque debent posse per artus, denique (endlich noch) ut intereant una cum corpore cunctae.

Hartung, Partik. T. I. p. 253.

In versu libri tertii 553. fere omnium librorum scriptum est:

sed tamen in parvo lincuntur tempore tabi,
quam lectionem, quum non intelligerent, mutabant sive corripiebant:

secta etenim parvo lincuntur tempore tabi;

tamen in parvo tempore est fere in tempore **quamvis** parvo. Lachm. Sensus enim est: pedes, oculi, manus nihil sentiunt, etiamsi vel minimo tempore separata sint a corpore. Ramshorn. Gr. lat. min. §. 194. not. 4.

Scilicet esse globosa tamen, cum squalida constant. Lachm. 2, 809. scire licet, sine eo fieri posse putandum est. Forbig. 2, 469. not. Ruddim. inst. Gr. II. p. 321. IV.

Et pro ac post adjectivum similis ponitur:

- 2, 416. neu simili penetrare putes primordia forma
in nares hominum, quum tetra cadavera torrent,
et quom scena croco Cilici perfusa recens est,
araque Panchaeos exhalat propter odores.

Ramshorn. Gr. lat. min. §. 187. 5. not. 2.

Et pro etiam suspectum est corruptelae. Lachmann. 3, 234. p. 152.

Ibi Graecorum more, qui ἔνθα pariter pro tum usurpant, pro tum positum est 3, 28. (Gronovius ad Liv. 7, 26.):

his **ibi** me rebus quaedam divina voluptas
percipit atque horror.

Amat Lucretius formulam quippe ubi apud alios scriptores rarius obviam:

- 1, 168. quippe ubi non essent genitalia corpore quoque.
3, 431. quippe ubi imaginibus fumi nebulaeque moventur.
4, 435. quippe ubi nil aliud, nisi aquam coelumque tuentur.
4, 666. quippe ubi cui febris, bili superante, coorta est.

Quippe copulatur cum etenim et enim:

- 1, 105. quippe etenim quam multa tibi jam fingere possum
somnia, etc.
2, 548. quippe etenim sumant oculi, finita per omne
corpora jactari unius genitalia rei.
6, 618. quippe videmus enim vestes humore madentes.

Quippe ita: 1, 152. quippe (natürlich) ita formido mortales continet omnes. Hartung, Partik. T. I. p. 487. Ramshorn. Gr. lat. min. §. 190. 4.

More Graecorum circumscribuntur particulae quaedam; verbi causa **est quum**, ἔστιν ὅτε, significat aliquando 6, 295. est uti, ἔστιν ὥς, est ratio cur, 3, 293. 715. 726. 738. est quare, ἔστιν οὖνεκα, 5, 714. erit haud ut possit, οὔτι ἔσται ὅπως, non poterit, 3, 715. nil erit ut distent 1, 621. non est ut credere possis 2, 496. procul est ut credere possis 4, 857. non est ut (non est causa cur) 2, 496. Matthiaci Gr. gr. §. 482. not. 2. Kühner. Gr. gr. maj. 782. οὐκ ἔσθ' ὅπως i. e. nullo modo, neutiquam. quod superest dicitur pro denique, postremo, τὸ λοιπόν, 2, 39.

Accedit huc, ut, quoniam, quare (porro) 2, 1077. 1, 193. 1, 216. quoniam 1, 754. quare 6, 1021. huc accedit item, quare queat id magis esse. si non positum est pro εἰ μὴ 2, 40. 3, 746. si non certa suo quia semine seminioque, vis animi pariter crescit cum corpore quoque?

Simul pro simulac 1, 88. ut si pro quasi 4, 991.

Videlicet conjungitur cum infinitivo:

- 1, 210. esse videlicet in terris primordia rerum.

Proinde ac i. e. perinde quasi 3,1053. si possent homines, proinde ac sentire videntur pondus inesse animo, quod se gravitate fatiget. 3,1035: ossa dedit terrae, proinde ac famul infimus esset. 4, 650.

Proinde = prout: ut sunt dissimiles — proinde ex seminibus constant variante figura.

Ex iis, quae adhuc dicta sunt, satis superque elucet Lucretiam multis novatis, priscis, longe arcessitis vocibus uti, iisque tum propter egestatem linguae Latinae, ut ipse testatur, tum propter rerum novitatem; nec potest negari, eum multum contulisse ad linguam Latinam et excolendam et novis vocabulis ditandam. Caeterum video multa adhuc dicenda restare, ex quibus cognoscantur idiomata et ea quae Lucretio propria et eximia insint. Vereor tamen, ne jam nunc extra cancellos egressus sim, quum multa addiderim, quae non Lucretio solum, sed aliis etiam scriptoribus peculiaris sunt. Quae autem maxime dicenda restant, non tam spectant ad partem grammaticae elementarem quam dicunt, quam ad syntacticam et metricam, de quibus rebus alia occasione oblata disseremus easque exemplis collectis illustrabimus.

Sic igitur hoc quaecunque opusculum in publicum emittimus cum bonis votis, ut consilium, quo scriptum est, assequatur eamque afferat utilitatem, quam speravimus allaturum esse iis, quibus destinavimus. Denique non tantum nobis sumimus, ut opinemur aliquid profecisse aut laudem aliquam meruisse; nihil egimus, nisi exempla ex Lucretii carmine petita collegimus ea, quae partim a Grammaticis neglecta sive non observata essent.

Scribebam XVI. d. ante Cal. Febr. MDCCCLVII.

Dr. Altenburg.